









C. 8. num. 29,

# PAROCHVS NON IVRANS

QVATENVS IN SOLA  
AEGROTANTIVM CVRA  
SPIRITVALI  
FVIT OCCVPATVS

INSTRVCTIONIS PASTORALIS  
SCHEDIASMA

AVCTORE

*P. 363,*  
IOANNE CHRISTIANO DIETZ,  
DEFINITORE ET PASTORE AD TEMPLVM  
CIVITATIS GISSENSIS PRIMO.

*Hr. 2428*

GISSAE

apud IOH. PHILIPP. KRIEGER.

1767.



20. 2. 06.

TARBOCHYS NOM

IVRAYS

ON ENVIY SOM

VEBRO TANTUM QVA

SPRITWELL

TVT OCCYRIVE

INSTRUTIONE PASTORALE

SOMPTUARIA

ACTUS

IOHANNES CHRISCIANUS

DE PASTORIS OFFICIO

IN QVODAM

CLASSIS

PROFESSOR

1767



PERILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO

DOMINO

HERMANNO

A RIEDESEL

S. R. I. LIBERO BARONI

DYNASTAE IN EISENBACH

SERENISSIMI LANDGRAVII  
HASSO-DARMSTADINI

MINISTRO STATUS INTIMO

TRIBVNALIS SACRI DARMSTADIENSIS  
PRAESIDI

COMITATVS NIDDANI SATRAPAE

ALMAE LVDOVICIANAE CVRATORI

HEROI TOGATO

PATRONO AC MAECENATI

MAXIMO


FELICITATEM PERENNEM, SALVTEM INCON-  
CVSSAM, SENECTVTEM PYLIAM  
OMNI BONORVM  
GENERE ADPLVENTEM, EA, QVA PAR EST,  
PIETATE PRECATVS  
LVCVBRATVM HOC OPVSCVLVM  
TANQVAM GRATI ANIMI OB INFINITA  
IN SE COLLAIA BENEFICIA,  
SPECIMEN

D. D. D.

obsequentissimus obseruantissi-  
musque cultor

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ.





## PRÆFATIO.

**I**n lucem publicam egreditur hic libellus, quo rem tricus implicitam accuratius euoluere eamque extra dubitationis aleam ponere molior. Ad sacrum officium, quo verbi diuini praecones funguntur, solum pertinet, quod hoc loco nodis exsoluendum suis, magisque stabiliendum iudicauis. De eo quidem, vtrum pastores perinde ac alios ciues iurandi necessitate, vbi res ipsa poposcerit, adstringi conueniat, ambigere, mihi in mentem non venit. Illud solum, quatenus in curam aegrotantium sedulo incumbunt, & ipsos domesticis semet negotiis immiscuisse, nulla & ne probabilitatis quidem ratione ab

PRAEFATIO.

vno alteroue herede declarari possit, quod suo tantum officio sint functi, rei autem familiaris curam abiecerint omnem, aliaque omnia aures oculosque praeteruehi iusserint, iureiurando non esse confirmandum, haud leui fortaſſe argumentorum robore velitans, demonstratum iui. Ne quis in ſiniſtram illam partem, ſententiam meam temere interpretetur, ſollicite caui, in fronte operis ipſum etiam titulum hac reſtringendi formula muniens. Quae fuerit libelli huius edendi occaſio, ſub calcem illius breuiter ſtrictimque recenſetur. Accidit nimirum, vt paſtor ab herede patris pridem defuncti, quo teſtem domus ſibi paullo ante, quam e vita diſcederet, praefente ipſo, quod praetexuit, dono datae, in iudicio ageret, fuerit compellatus & arceſſus. Quod cum negaret paſtor, tam acriter inſtitit heres pro poſito ſuo, vt omnem mouere lapidem ad cogendum hunc teſtem, vimque iuris omnem ea in re exhaustiſſe videretur.

Verum

PRAEFATIO.

Verum a quovis probationis fundamento, cum, vbi pedem figeret non haberet, praeter expectationem delapsus, ad spem haectenus inanem se deuolutum, sibi que secum esse habitandum, fuit edoctus. Interim hunc casum perplexum & intricatum, eiusque discussionem, quantum quidem comperire licuit, vastissima eruditorum volumina altum silent: quo factum est, vt parum consilii ab istis oraculis omni veneratione dignissimis peti potuerit. Inter meditandum igitur hoc opusculum fuit subnatum, quod limatum deinde ac perpoliturum, censurae Procerum eminentium & auctoritate publica constitutorum fuit subiectum. Vnde quum atro carbone notatum non rediret, sed albus illi calculus fuisset adiectus, addito simul consilio, vt e forulis meis in lucem prodiret, typis illud exscribendum bibliopolae tradere, non dubitavi. Nihil superest, quod curae cordique habeo, omnibusque voris expeto, nisi hoc vnicum, vt in  
 supremi

PRÆFATIO.

supremi Numinis honorem & commodum sacri gregis, eorum potissimum, qui verbi diuini pabulo animas sibi concreditas pascunt, valeat. Non enim nobis, sed seruatori O. M. & ferimus & metimus, fructusque omnes vindicamus. Si quid forte humana peccauerit imbecillitas, quis enim ab omni labe se immunem, nisi admodum *Suffenus*, habeat, illud mentis pietati a sinistrarum partium studio alienissimæ condonatum iri confido.

Dabam Gissæ Cattorum ipsis idibus April. A. R. S. CIOCCCLXVII.



CAP.



## CAP. I.

DE

### OFFICIO ET IVRIBVS PAROCHI IN CVRA AEGROTANTIVM SPIRI- TVALI OCCVPATI.

#### §. I.

#### *Parochi Definitio.*

*Parochus* est persona ecclesiastica ad  
verbum Dei publice aequae ac pri-  
uatim ex cura animarum speciali pro-  
ponendum, & sacramenta rite admi-  
nistranda, legitime ordinata. Qua  
quidem definitione, quicquid alienum  
est, & fasces imperii cuiusdam civilis  
adfectare videtur, prorsus extermina-  
mus. In vulgus enim notum est,  
quantum civitatis regimini semet intru-  
dat & quasi immergat Romanensium  
A Clerus

Clerus, & quam late, contra disertum  
 verbi diuini edictum 1. Petr. V. 2. 3.  
 extra oleas vegetur. Ex iure nimi-  
 rum canonico, *Parochus* est sacerdos,  
 qui ut Dominus regit cum cura animarum  
 ecclesiam minorem ex paroecianis compositam  
 cum iure excludendi alienos & cogendi pro-  
 prios subditos ad sacra ibi peragenda & iura  
 paroecialia ibi praestanda; quae sunt ver-  
 ba illustris BOEHMERI *instit. iur. ca-  
 non. Lib. III. Tit. XXVIII.*

*Scholion.*

*Parochus* scribitur etiam *paroecus*, no-  
 tante illustri BOEHMERO l. c. vbi origi-  
 nem vocis e lingua graeca arcessit, quae  
 vocabula παράοικος & παράοικία habet. Hoc  
 plurium domorum viciniam designat,  
 quod, si ad sensum sacrum transfertur, vi-  
 ciniam sacram, seu in vna societate eccle-  
 siastica coniunctam significat. *Paroecus* igitur  
 ex vocis natura, quatenus sacro sensu  
 accipitur, talis est, qui sacrae eiusmodi do-  
 morum viciniae praest, verboque diuino  
 gregem minorem sibi concreditum pascit.  
 Pro vocabulo *Paroecus*, quod in Patrum  
 scriptis legit acutissimus BUDAEVUS, barba-  
 re

re dicitur *parochus*; id quod aut focors lin-  
 guae imperitia, aut, si mauis commodior  
 molliorque pronuntiandi ratio temere in-  
 uexit, linguae genio fortasse non penitus  
 neglecto. Plane enim diuersum ab isto sen-  
 sum tuerur apud latinos, origini tamen vo-  
 cis consentaneum. Scilicet parochum vo-  
 cabant eum, qui necessaria peregrinis &  
 hospitibus praebebat. Ita HORATIUS I.  
 Sat. 5, 46.

Praebuit, & parochi, quae debent,  
 ligna salemque;

ad quem locum TORRENTIVS notat,  
 parochorum fuisse officium, legatis salem  
 & ligna suppeditare. Pro *coniuatore*, qui  
 coenam praebet, vsurpat idem *Potta Ve-  
 nusinus*, II. Sat. 8, 35.

vertere pallor

Tum parochi faciem nil sic metuentis,  
 vt acres

Potores.

Recte igitur ACRON *Commentar. ad Hora-  
 tium* vocabulum latinum a graeco *παρέχω*,  
*praebeo*, *suppedito*, deriuat, sicut *μέτοχος* a  
*μέτεχω*, *ὑπέροχος* ab *ὑπερέχω*, descendunt.  
 Id quidem nonnullis adeo arrisit, vt ipsum  
 paroecum animarum curam gerentem, par-  
 ochum appellandum esse censerent, quia  
 ab ipsis ecclesiae noui Testamenti incuna-

A 2

bulis

bulis ob tragicas Christianorum insectationes, praecipuum clericorum erat officium, ut erga egenos istos exfules atque extorres a patrio solo, suis quosque sedibus eiectos, hospitales & beneficos se praeberent. Quod *Philoxenias* munus diuinus PAVLLVS inculcat 1. *Timoth. III. 4. Tit. 1. 8. Ebr. XIII. 2.* Verum ista appellandi ratio nimis infirma & parum probabilis videtur, quando ab vnico isto virtutis exercitio integrum parochi officium id nominis sibi vindicasse contenditur, De explicatione vocis legi etiam meretur IOSVA ARNDIVS, in *Lexico Antiquit eccles. Tit. parochus.*

§. II.

*Officium generatim.*

Quodnam sit officium parochi, ex ipsa igitur definitione elucet. §. I. Ad animi, non corporis & facultatum curam gerendam, omnem operam conferat necesse est. Quod cum aliter fieri nequeat, quam verbi diuini praeconio, & sacramentorum vsu legitimo; manifestum est sedulo atque ardentem in vtroque elaborandum esse.

id





Id quod non publice solum pro rostris  
sacris coram multitudine, sed priua-  
tim quoque, colloquio cum singulis  
instituto, qualibet occasione commo-  
dissima parochis oblata fieri debet.  
Prudentia suis etiam regulis parochio-  
rum actiones ex ministerii sacri ratione  
suscipiendas temperare debet, ne offi-  
cii tam sancti administratio aliqua sui  
parte necessaria truncetur. *Matth. X.*  
16.

*Scholion.*

Non in omnem Pastoris officiorum  
campum hoc loco excurrimus, siquidem  
isto labore viri celeberrimi & de ecclesia  
meritissimi sunt perfuncti, B. RAMBACHI-  
VS focer meus aeuum deuenerandus, in  
*exegefi epist. PAVLLI ad Titum cap. 1.*  
HARTMANNVS in *pastorali euangelico L.*  
*III. C. LX.* B. SIGISM. IAC. BAUM-  
GARTEN, in *der Theologischen moral,*  
*zweiten Theils, siebentes Hauptstück, §. 204.*  
*seq.* B. HENR. WILLHELM SCHARF in  
*der Lünischen Rechnung*, aliisque quam plu-  
rimi. Neque tam fusa officiorum, quae  
pastorem decent, explicatio, scopo nostro  
est accommodata. Adquiescimus in eo,  
A 3 quod



quod generatim praelibauimus, quo instructi ad vltiora progredimur.

§. III.

*Speciatim circa aegrotos.*

*Parochi officium praecipuum est, aegrotos visitare, eosque ad mortem beatam sobrie atque sollerter praeparare. Nam parochus ex officii ratione curam animarum gerere debet, verbum diuinum proponendo & applicando, nec non Sacramenta rite administrando; idque non publice tantum fieri debet, quando sacris e rostris verbum diuinum proponitur, atque ad salutem animarum applicatur, sed priuatim etiam singulis haec caelestis medicina adhibenda est. §. II. Ratione singulorum habita eo magis est necessarium, ea in re neruos intendere omnes, quo propius ac certius est mortis periculum, quae via est ad aeternitatem pro vitae ante actae modo, vel tremendam, vel sicientium instar auide appetendam & expectandam. Vnde sequitur, vt praecipuum*

in-  
cipuum [sit] parochi officium, aegrotorum propius ad aeternitatem accedentium curam suscipere spiritualement, eosque ad mortem beatam praeparare.

*Scholion.*

ae-  
am  
ar-  
na-  
m  
on  
le  
n-  
m  
a-  
m  
i-  
n  
n  
o-  
,  
e  
l  
z  
-  
n

Hoc officio iam sub veteris Testamenti oeconomia Prophetarum fidelissimi Dei ministri sunt perfuncti. ESAIAE Prophetarum exemplum, qui Regem Iudae Hiskiam gravissimo cum morbo confluentem visitavit, hac in re est singulare, quod memoratur 2. Reg. XX, 1-5. Es. XXXVIII. 1. s. ubi versu primo haec vatis divini verba leguntur: וְצוּ לְבֵיתְךָ כִּי מֵת אֶתְּהָ וְלֹא תַחֲיֶה: a SEBAST. SCHMIDIO ita in sermonem latinum translata: *praecipe domui tuae, quia moriens (eris) tu, Et non viues.* Aliter & contra textum ebraei expressam indolem habent Biblia Iunio Tremelliana, hunc scilicet in modum: *sic ait Iehoua, da praecipta filiae tuae, nam tu breui morieris, ac non viues;* ubi pro בֵּיתְךָ בֵּיתְךָ legisse videntur. Phrasim, *domui praecipere*, secundum sonum sensum sublimia ac plane caelestia spirantem. Praecipta respiciunt salutem eorum, quibus praecipitur. Quamobrem, qui domui praecipere iubetur, id quod salutare est familiae curare debet. Praecipere aliis eorumque rationi-

tionibus bene & nauiter prospicere, suam  
 ipfius curam prouide ac prudenter fufcipien-  
 dam praeftruit. Vnde elucet, Hiskiam, quum  
 ad praecipendum domui fuae admoneretur,  
 fimul ad fui ipfius curam falutarem geren-  
 dam ferio fuiiffe admonitum; id quod lau-  
 dabilis precandi feruor, verf. 2-4. 10-20.  
 abunde teftatur. Tantam vim habuit Efai-  
 ae prophetae feuerum ac dulce alloquium.  
 Conf. B. LANGIUS in *Vrim & Thummin*,  
 & STARKIUS in *fynepsi Biblioth. exeget.*  
 ad b. l.

In nouo Testamento illuftris eft locus  
 Iac. V. 10. ἀθενεὶ τις ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάμε-  
 νος πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάμε-  
 σαν ἐπ' αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν ὀνόμα-  
 τι τοῦ κυρίου. *Aegrotat aliquis inter vos, arces-*  
*fat Seniores ecclesiae, & orent super eum,*  
*unguentes eum oleo in nomine Domini.* Ae-  
 grotantes igitur aeternitati obuiam euntes  
 hac cauffa permoti Seniores arcessere iu-  
 bentur, vt ad Deum ex imo pectore pre-  
 ces fundant. Quinam fint ifti Presbyteri,  
 qui hoc precandi munere perfungi iubentur,  
 ex ipfo fermonis tractu vfque vocis,  
 fatis euidenter perfpicitur. In facris nimi-  
 rum Pandectis, Presbyteri funt illi, qui  
 gregi facro erant praefecti eo confilio, vt  
 verbum Dei proponerent, & Sacramenta  
 admini-

administrarent. Honorificum erat hoc officii nomen, siquidem ad istum ministerii sacri gradum non recens plantati, sed aetate iam prouecti, cognitione verbi diuini satis collustrati, prudentia rerumque vsu conspicui, calamitatibus explorati, euehebantur, illudque munus ex suffragio multitudinis, quae Christo nomen dederat, consequebantur. 1. *Timoth. III. 6.* Iuniores etiam interdum eligebantur quidem, at tales, qui doctrina, pietate, grauitate vitaeque integritate aetatis prouectioris defectum sarciebant; cuius rei exemplum habemus Timotheum, quod e verbis Paulli elucet 1. *Timoth. IV. 2.* Μηδεὶς σε νεότητος καταφρονεῖτω, ἀλλὰ τύπος γίνε τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ κ. τ. λ. Neque honoris tantum sed officii etiam hoc nomen erat aeuo Apostolorum, quo munus Pastoris designabatur. Eundem significatum nomen episcopi in sacris litteris habet, qui tum temporis viguit. *Inspicientem* notat, siue eum, qui curam sacri gregis salutarem gerit, & diligenter attendit atque euigilat, ne quid noxae ac detrimenti causa Christi capiat. Accommodatissimum est nomen *Pastoris*, quod eum significat, qui gregem sacrum verbo diuino tamquam pabulo pascit. Quodlibet nomen vnum idemque

A 5

offici;

officium designat, nulla praecellentis cuius-  
 dam ministrorum verbi dignitatis habita-  
 ratione. Id quod ex *Act. XX. 17.* coll.  
 vers. 28, luculenter apparet. Nam versu  
 17. presbyteros nominat Paullus, quos  
 versu 28. episcopos appellat, quibus man-  
 datum erat, *pascere ecclesiam Dei*, quam ac-  
 quisivit suo ipsius sanguine. Hoc certum  
 & indubitatum est, presbyteri vocem in  
 scriptis apostolorum vnum idemque valere,  
 ac eam pastorum & episcoporum. Omni-  
 um presbyterorum fuit *ποιμαίνειν* & *ἐπισκο-  
 πῆν*. Paulo perinde est, siue presbyteri  
 siue episcopi describat requisita, siue pres-  
 byteros siue episcopos in ecclesia ordinatos  
 dicat, *1. Timoth. III. 1. Tit. 1. 5. Act.  
 XX. 28.* Quae sunt verba viri doctissimi  
 CAMPEGII VITRINGAE, de *Synagoga ve-  
 tere L. II. C. II. p. 454.* vbi integrum hoc  
 thema erudite enucleat, eamque, quam tue-  
 tur, sententiam firmissimis euincit argu-  
 mentis. Conf. IOSVA ARNDIVS *Lexico  
 Antiquit. eccles. Tit. Presbyter.* Discrimen  
 presbyteros inter & doctores, quod ae-  
 uum posterius inuexit, teste illustri BOEH-  
 MERO, *Instit. Iur. Canon. L. 1. Tit. XXIV.  
 §. VI.* nec non alterum inter docentes &  
 regentes, quod adhucdum viget in non-  
 nullis reformatotum ecclesiis, notante VI-  
 TRIN-

TRIN-

TRINGA l. c. p. 482. ignoravit purissi-  
 mum Apostolorum aeuum, idque propug-  
 nantes solide refellit laudatissimus Auctor  
 l. c. Sunt igitur parochi illi presbyteri,  
 quos nominat diuinus Iacobus, qui arcessi-  
 ti ad aegrotos, preces ad Deum fundere  
 iubentur, Precibus impetratur gratia Dei  
 operosa in animis aegrotantium, quae do-  
 cendo, admonendo, consolando, vt ex  
 imo ipsorum pectore fluant, excitari de-  
 bent. De ordine ministrorum verbi emi-  
 nentiori, promiscuo vocum istarum vsu,  
 nihil delibari, sed auctoritatem potius apo-  
 stolicam ideoque diuinam illi accedere, ne-  
 gari non potest. Nam *quum ipsi se Apo-  
 stoli vocent Presbyteros, id tam non derogat  
 isti praerogatiuae, quam de illa non detrahit  
 nomen fratrum, quod ipsi cum auditoribus  
 adeo suis saepe communicant;* quae sunt ver-  
 ba viri magnifici & summe Reuerendi, D.  
 IOANNIS HERMANNI BENNER, Patro-  
 ni ad cineres vsque colendi, in doctissima  
 differt. *de haeretico iussu Paulli excludendo, p.*  
*47.* Quod additur in hoc oraculo de oleo,  
 quo aegrotantes vngi solebant, illud ad pri-  
 ma ecclesiae nascentis tempora pertinet.  
 Sunt, qui miraculum odorantur in hoc oleo  
 aegrotantibus salutari. Sunt, qui remedium  
 in terris Iudaeorum aliorumque orientis po-  
 pulo.

pulorum, ad sanandos refocillandosque aegrotos fuisse autumant; de quo videatur B. BROCHMAND in *exegeſi epist. Jac. ad b. l.* SCHOITGENIVS in *hor. ebr. ad b. l.* quae posterior sententia admodum probabilis videtur. Ibidem legitur, in Iudaeorum ecclesia hoc officio functos esse sapientes, quos vocant, id est, Sacerdotes legumque sacrarum magistros l. c. ubi verba expromit ex Rabbi Simeon Franckfurter libro ספר החיים sub initio: Rabbi Simeon Iochai dixit: quidnam facere debet homo, qui abit ad inuisendum aegrotum? Respondetur, qui studet restituere sanitatem corporis, is prius fundamentum iaciat sanitatis animae. Est post pauca: Dixervnt sapientes: Quicumque dolore aliquo laborat, is adeat ad domum medici: nulla vero sanatio potior est ea, quae a precibus & verbo Dei provenit. Dixit praeterea Rabbi Pinebas: filius Chamma: Quicumque accidit aegritudo aut morbus in domo sua, is abeat ad virum sapientem, qui misericordiam pro ipso impetret. Ex hisce omnibus luce meridiana clarius elucet, a primis ecclesiae incunabulis palmarium hoc fuisse pastorum officium, ut aegrotos inuiserent, eosque ad vitam beatam consequendam sedulo praepararent.


## §. III.



§. III.

*Continuatur.*

*Animus parochi curam aegrotantium spiritualem gerens, a negotiis civilibus prorsus est abstrahendus.* Nam spiritualia & civilia, quippe quae toto distant caelo, in iacturam salutis animarum misceri non debent, ita ut civile negotium expellat spirituale, quod fieri solet, si diuisis etiam temporibus circa lectum aegrotantis a parocho suscipiatur. Multo minus eodem tempore, quo sanctum illud praeparationis ad beatam aeternitatem negotium expediri debet, animus ad diuersa & prorsus contraria est applicandus. In primis cogitandum est, palmarium ac praecipuum Pastoris officium esse, ut curam spiritualem aegrotantium habeat. §. II. III. Quod quum infringatur ac plane extenuetur attendendo ad bona aegrotantium, meditando terrestria, adeo ut non possit tanta vi mentis attendi ad animarum salutem, quanta qui-



quidem fieri debebat; qua in re numquam satis nedum nimis parochus elaborauerit §. cit. hinc manifestum est, animum parochi curam aegrotantium spiritualem gerentis, a negotiis ciuilibus prorsus esse abstrahendum. Vnde simul elucet, parochum oppido peccare, quando terrestria meditatur, vbi caelestia tractare ex officii sacri ratione circa lectos aegrotantium debebat.

*Scholion.*

Quod monitore divino *Petro. I. epist. IV. 15.* ne quis patiatur tamquam *ἀλλοτριοεπίσκοπος*, cauetur, illud huc etiam suo modo est referendum. Is enim est, qui se immiscet alienis negotiis, quae plane discrepant ab officio sacro, quo parochus fungi debet. Graeci talem etiam *πολυπράγμονος* vocant rerum alienarum inspectorem s. rebus aliis ab officio sacro remotis, quatenus illud ipsum administrare debebat, temere se ingerentem. Huius furfuris sunt ii omnes, qui quum caelestia meditari animarumque curam spiritualem suscipere ac gerere fas erat, ad terrestria fluxa & vaga prolabantur. A minimis, quae videntur, facilis

facilis est lapsus ad magis profunda & intricata. Nam qui talia appetit, facile φλύαρος & ἀίχρονος redditur, garrulus & turpis lucri cupidus; quod PAVLLVS vetat. 1. *Timoth. III. 3. Tit. I. 7.* Inde alia nascuntur vitia sacro officio prorsus inimica. Plurima huius euentus exempla loquuntur historiae; inter quae triste illud 10. FVNC-  
CII fatum nobis iam succurrit, qui quum in aula Borufforum Ducis ALBERTII, Sacri praeconis officio fungeretur, ciuilibus semet negotiis adeo immerfit, vt consiliarii titulo coruscus, pallium cum purpura mutaret. Verum in contraria currebant omnia, retroque sublapsa referri cogebantur, adeo vt tandem ipse captus & capite truncatus fuerit. Ante obitum hoc distichon cecinit:

Disce meo exemplo mandato munere  
fungi,

Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμο-  
σύνην.

Ad exitum superioris saeculi tragicum exstitit 10. LUDOV. LANGHANSII exemplum, qui eodem functus munere in aula CAROLI Electoris Palatini, quia ciuilibus & plane inhonestis semet implicuit negotiis, nec non diuina & humana iura neglexit, carnificis manu publicae omnium ignominiae fuit expo-

expositus. Conf. ZIEGLERI *Labyrinthus  
historicus*, num. 681. STRUVIUS *in der  
Pfaelzischen Kirchenhistorie*.

§. V.

*A Testamentis ordinandis absteineat.*

*Testamenta ex moribundorum ore ac  
voluntate ultima condere, Parochi iure  
prohibentur. Nam testamentum est vl-  
timae morientium voluntati de here-  
ditate facta declaratio, vel soli testi-  
um memoriae vel litteris, vt fere sem-  
per fieri solet, mandata, testiumque  
subscriptione & sigillorum impressione  
firmata. Verum hoc negotium est  
prorsus ciuile, a persona aequae ac of-  
ficio parochi alienum, qui si partes  
suas recte tueri velit, operam omnem  
nauet oportet, omnem, quae conce-  
ditur, temporis moram impendat, ad  
aegrotum in continua cogitationum sa-  
crarum serie tenendum, excitandum,  
eumque ab anxia qualibet cura rerum  
terrestrium abstrahendum §. IV. Maxi-  
mum*

mum pondus est illius temporis, quod  
 vitam inter breuem admodumque cir-  
 cumcisam, & mortem propinquam,  
 certe metuendam, interfluit. Irrepa-  
 rabilis eiusdem iactura, quando prae-  
 sente parochio tricis apinisque, rerum  
 terrestrium meditatione colloquiisque  
 friuolis consumitur. Quae cum om-  
 nia officio parochi repugnent, qui pal-  
 marium ac praecipuum habeat nego-  
 tium, animam morientis ad beatam ae-  
 ternitatem instruere & praeparare §.  
 III. hinc sequitur, vt ex moribundo-  
 rum mente & voluntate, parochi te-  
 stamenta facere, iure meritoque pro-  
 hibebantur.

*Scholion.*

In ecclesia Pontificia, vbi summa mis-  
 centur imis, humana diuinis, caelestia ter-  
 renis, alia eaque deploranda est rerum fa-  
 cies. Ius enim canonicum tam liberale &  
 prodigum est iuris alieni, vt clericis testa-  
 menta ordinandi facultatem indulgeat, at-  
 que alia etiam circa iura modumque testa-  
 mentorum constituat. Ex isto iure, mitra-  
 ti Patris decreto factum est, vt abrogato  
 more testandi ciuili testamenta coram par-  
 ocho

B

ocho

intibus  
 n der

t.  
 e ac  
 iure  
 t vl-  
 ere-  
 esti-  
 em-  
 que  
 ne  
 est  
 of-  
 tes  
 em  
 ce-  
 ad  
 sa-  
 m,  
 um  
 xi-  
 im

ocho & duobus aut tribus testibus conderentur. Verum in Germania per constitutionem MAXIMILIANI I. Romanorum Imperatoris modus testandi canonicus fuit reiectus, contra civilis approbatus, nisi quod in Saxoniae pagis testamenta rustica hoc modo adhuc condantur, teste illustri BOEHMERO *institut. iur. canon. Lib. III. Tit. XXVI. §. IV.* conf. Illustris HOPPVS in *commentat. succineta ad institut. Iustin. L. II. Tit. X. p. 360.* In terris etiam Protestantium, nominatim Hassiacis, lege cautum est, ne quis Parochus libertatem dicam, an licentiam ordinandi testamenta sibi vindicet, sed suo munere pro virium modulo rite fungatur. Ipsa verba interdicti, quo Clerici ab aliis simul negotiis civilibus arcentur, ita habent, quae integra cum lectore communicamus:

**Unsern günstigen Gruss zuvor,  
Würdiger guter Freund!**

Es ist vermög einer in anno 1731. ergangenen Fürstlichen gnädigsten Verordnung, den Pfarrern, Praeceptoribus und Schulmeistern allschon inhibiret worden, keine Obligationes, Testamenta und Eheberedung, als derley in die Amts-Jurisdiction einlaufende Sachen nicht verständige, zu verfertigen, und  
sich

sich dessen gänzlich zu enthalten, vielmehr sol-  
 che den Beamten, Gerichts- und Stadtschrei-  
 bern, als dahin gehörig, nach jedem Orts  
 Herkommen zu überlassen. Nachdem nun  
 sothaner gnädigsten Verordnung hier und da  
 nicht genau nachgelebet worden, Serenissimi  
 Nostris Hochfürstliche Durchlaucht aber solche  
 zur Sicherheit der Kirchenkasten und des  
 Publici auf das richtigste beobachtet wissen  
 wollen, und daher mehr erwähnte Verord-  
 nung vermittelst unterm 16. Jan. curr. anni  
 an Uns erlassenen Rescripti clementissimi zu  
 renoviren gnädigst gut gefunden: Als habe  
 ihr euch darnach zu achten, mithin auch solche  
 sämtlichen in eurem Conuent sich befindlichen  
 Pfarrern, wie auch imgleichen denen Praecep-  
 toribus und Schuldienern ohnverzüglich be-  
 kant zu machen. Versehens Uns, und sind  
 euch günstig geneigt. Giesen den 3. Sep-  
 tember 1656.

Fürstlich Hessischer geheimer Rath und  
 Consistorii Director wie auch alle  
 übrige geist- und Weltliche Richter  
 und Räte daselbst.

von Scheid.

Grollmann.

B 2

S. VI.



## §. VI.

*Continuatur.*

*Parochus loco Testamenti voluntatem morientis ultimam ex ore ipsius excipere, & heredibus post mortem manifestare non debet.* Testamenta enim condere, codicillos formare, donationes a moribundis factas suo firmare testimonio, sunt negotia mere ciuilia extra parochorum circulos **graffantia**. Quodsi igitur loco testamenti moriens voluntatem ultimam de facultatibus post obitum partiendis, cum parochus communicauerit, eo consilio, vt heredibus post obitum morientis manifestet, vel adhibitis testibus aliis, vel minus: Hoc nihil aliud foret, quam Parochum transformare in testamenti conditorem. Id enim simillimum est testamento, eo tantum discrimine, quod testamenta verbis vt plurimum calamo signatis, sigilloque impresso firmatis, haec contra ore proferendis & loco sigillorum, iureiurando confirmandis, stabiliri soleant. Quum igitur testamenta fa-  
cere



cere ex iis rationibus parochus sit interdicitum, quia ciuilibus semet immergere negotiis, ex lacri officii natura ac indole turpe & indecorum, curae animarum ad mortem beatam praeparandarum prorsus contrarium, reique publicae noxium iudicatur; §. IV. V. Schol. hinc sequitur, vt parochus loco testamenti ex ore morientis voluntatem vltimam excipere, eamque heredibus post mortem manifestare non debeat.

*Scholion.*

Frustra obiicitur, a testamentis ad perhibendum testimonium non extendendam esse istam prohibitionem. Indecorum quidem & ab officio parochi esse alienum, testamenta facere, at non item testari seu testimonium perhibere coram iudicio aut explicare voluntatem defuncti ipsi manifestatam. Verum facile ista dispungi possunt. Nam de similibus simile & de simillimis simillimum ferendum est iudicium, rationibus vtrobique aequo Marte militantibus. Quid quaeso discriminis inter vtrumque intercedit? Parochus calamo excipit litterisque mandat voluntatem testatoris, idque

atem  
pere,  
non  
codi-  
bun-  
funt  
rum  
lo-  
vl-  
par-  
aue-  
obi-  
ibi-  
ni-  
ans-  
em.  
eo  
enta  
tis,  
on-  
um,  
iliri  
fa-  
ere



post temporis quoddam interuallum hereditibus exhibet, aut ex ore excipit auribus, memoriae idem mandat, & postea hereditibus manifestat. Quid quaeso discriminis in re ipsa deprehenditur? Pastor utrobique ciuilibus circa lectum aegrotantis semet implicat negotiis, nisi quod illic scribendo expedit, quod nudis hic auribus ex ore aegrotantis excipit, verbisque memoriae mandatis efficit. Hoc si tamquam iustum & legitimum parochi conceditur: illud maiori iure largiendum esset. Plurimum refert, nosse verba, quibus voluntas vltima concepta atque expressa fuit. Haec memoriae mandare & post longam temporis intercapedinem recitare, lubricum atque ambiguum est. Contra, quod scribitur, testibus etiam praesentibus, id manet integrum & indelibatam. Illud igitur plus damni inferret reipublicae, quam hoc, vbi nihil facilius foret, quam legitimam testamentorum formam sibi cognitam & perspectam reddere. Immobile negotium parochi, vbi ipse praesente vno alterone teste dispositionem morientis vltimam auribus exciperet, animoque ad manifestandum post vltima fata teneret infixam, ex iure canonico Pontificio ordinati a Clerico testamenti speciem fere integram referret. Diuiditur enim in *nuncu-*  
sive

*patium & scriptum.* Illud verbis constat siue calamo siue auribus tantum exceptis testiumque memoriae impressis: hoc litteris ipsa testatoris manu exaratis. In nuncupatio hodie necessarium non est, vt litteris consignentur verba testatoris, sed etiamnum sufficit, modo voluntas viua voce coram testibus fuerit declarata, per *ordinat. imper. de anno 1512. Tit. von Testamenten*, notante illustri HOPPIO *Comment. ad Institut. Iustin. L. II. Tit. X. p. 370.* Vtrumque a parocho Romanensi expediri potest, vt vim iuris in terris ecclesiae, potissimum extra Imperium Romano-Germanicum obtineat. Conf. laudatus HOPPVS l. c. p. 360. in fine. Quodsi igitur pastori euangelico liceret, dispositionem moribundi vltimam testibus sibi praesentibus concreditam post vltima testatoris fata, heredibus manifestare: tunc vel parum vel nihil haec actio distaret a more testandi canonico legibus imperii communibus aequae ac prouincialibus nostris prohibito §. V. Schol. Verum tamen si quis acrius insistat, & ne latum quidem vnguem a sententia, sua discedere cupiat, nihil pugnamus: siquidem in promptu sunt alia argumenta, quibus instructi pro vero propugnabimus.

## §. VII.

*Obligationis diuersae species.*

Obligatio in varias dispecitur species. Diuiditur in actiuam & passiuam. *Actiua* est connexio motiuorum cum actione. *Passiua* est necessitas agendi vel non agendi moralis. Necessitas moralis existit ex lege, quae actionem iniungit vel prohibet, siue lex ista sit naturalis, siue positiua. Vtraque iterum scinditur in perfectam & imperfectam. Quae perfecta dicitur, nascitur ex iure perfecto, quod *strictum* quoque vocari solet. Imperfecta nomen fortitur ex iure imperfecto. Quid igitur ius perfectum sit, quid imperfectum, praelibandum est. Nimirum ius *generatim* spectatum est facultas agendi vel non agendi moralis. Haec igitur respicit illud omne, quod est moraliter possibile. Verum moraliter possibile est, quod fieri potest per legem, siue, cui lex non contradicit, quae perfectionem & felicitatem hominis intendit. Ius diuiditur in perfectum

fectum & imperfectum. *Ius perfectum*  
*s. strictum* dicitur, quod coniunctum  
 est cum iure cogendi alterum, si ob-  
 ligationi suae satisfacere recuset. Per-  
 fectum vocatur, quia ad facultatem  
 agendi moralem illud omne accedit,  
 quod accedere potest. Nam per le-  
 gem moraliter agere vel non agere  
 possumus, cui si accedat ius cogendi  
 alterum, tunc facultas agendi moralis  
 ita est comparata, ut simul vim adhi-  
 bere per legem queamus ad defenden-  
 dum & prosequendum ius nostrum.

*Ius imperfectum* dicitur, quocum ius co-  
 gendi alterum, si obligationi suae sa-  
 tisfacere nolit, non est coniunctum.  
 Imperfectum dicitur, non eo quod  
 imperfectionem nostram intendat, aut  
 quod actio ex isto iure determinata sit  
 imperfecte bona, sed quia iuri nostro  
 deficit ius cogendi alterum, siue quia  
 ad ius nostrum non illud omne acce-  
 dit, quod quidem accedere potest,  
 nimirum ius adhibendi vim in prose-  
 quendo iure nostro. Ex iis omnibus  
 intelligitur, quae obligatio sit perfe-  
 cta,

Eta, quae imperfecta. *Perfecta* vocatur in relatione ad ius perfectum: *imperfecta* autem, quatenus ad ius alterius imperfectum refertur. *Ill*a est, quae ius cogendi respectu alterius, cui obstrictus sum, inuoluit, si obligationi meae satisfacere nolim. *Haec* contra, quae tale ius cogendi non inuoluit, alteri competens, vbi obligationi meae satisfacere recusem. Quicumque perfecte obligatus est, ille etiam respectu sui ius perfectum s. strictum habet, illud agendi vel non agendi, ad quod perfecte obligatus est. Nam ad illud agendum vel omittendum ex lege ipsa sum obligatus, cuius vis est necessaria & immutabilis, quam si infringi iustum duceret, qui eidem est subiectus, per veritum rueret nefas. Praeterea obligationis perfectae ea est ratio, vt ab altero ad illud ipsum, in quod obligatus sum, cogi possim. Quod si igitur tertius aliquis me impedire studeat, quo minus obligationi satisfacere queam, cogere illum valeo, ne me impediatur, vt ne incommoda

moda

moda coactionis in me ipsum ex iure alterius stricto eoque legitimo deuoluta, sentiam. Similiter, qui imperfecte obligatus est, ius perfectum s. strictum habet, illud agendi vel omitendi, quod lex iubet, vel prohibet. Ius igitur cogendi alterum vel tertium usurpare possum, qui me impedire studet, quo minus obligationi etiam imperfectae satisfaciam. Nam actiua legis bonae ac salutaris obligatio est necessaria & immutabilis. Quamuis igitur alter me cogere nequeat, vt obligationem imperfectam expleam; ego tamen tertium cogere possum, ne me impediatur in explendo officio meo. Vnde sequitur, obligationem aequae perfectam ac imperfectam certo modo ius agendi vel non agendi perfectum tamquam sibi innatum suo continere complexu. *Ius alterius violat*, qui impedit, quo minus iure suo frui possit.

*Scholion.*

Haec non eo sensu sunt accipienda. quasi ex obligatione imperfecta nasceretur  
ius

ius beneficium suum alteri obrudendi. Neutiquam. In vulgus enim notum est, actus amoris s. beneficia neque extorqueri ab altero, neque alteri obrudi posse. Id tantum adserimus, ius perfectum compe-  
 rere imperfecte obligato, quatenus actus amoris ab altero, cui offertur, acceptum iri putatur, at a tertio obsistitur, ne huic obligationi satisfieri queat. Hoc pacto ius perfectum competit illi, qui officium suum explere studet, vi etiam adhibita repellendi vim alterius in contrarium pugnantis. Cautè & circumspectè interseruimus: *tertium cogere possum, ne me impediatur in explendo officio meo.* Praeterea per se intelligitur, ius strictum, quod ipsum est cogens, exerceri non posse, vbi grandiora mala ex coactione oriuntur. Quo casu res Deo commendanda & tantum legi conuenienter agendum, quantum fieri potest. Rem exemplis illustrabimus. Parocho iungitur obligatio ad inuisendos aegrotos, quando illi suppeditantur motiua, ad hanc officii partes implendas, quae ipsa actio, est obligatio actiua. Passiua ipsi incumbit obligatio, quatenus propter ista motiua necessarium est, vt aegrotantium curam agat spiritualem. Ius perfectum habet promissarius ad cogendum promissorem, vt  
 ster



stet promissis. Obligatio igitur perfecta promissorem urget, ut promissum expleat. Ius etiam perfectum s. strictum promissor habet ad cogendum tertium, ne ipsum impediatur, quo minus promissa sua praestare queat, ne mala coactionis ex iure alterius stricto per legem stabilito in se ipso experiatur. Deinde ius imperfectum habet egenus, ad stipem ab alio petendam. Quocirca nec alius obligatione perfecta est constrictus ad eandem petenti conferendam. Nihilominus ius perfectum habet, stipem collaturus in egenos, ad hoc faciendum. Nam ex obligatione legis naturalis interna, quae est necessaria & immutabilis, tertium, qui obsistit & repugnat, cogere potest, ne impediatur, quo minus isti obligationi satisfiat. Ceterum ius perfectum vocari etiam solet *efficax* & *expletorium*: Ius imperfectum dicitur etiam *inefficax*. HUGO GROTIUS nominat aptitudinem s. *ἀξίαν*, quae verum & perfectum ius non tribuit, quia id, ad quod apti sumus, non statim est nostrum, *Iure Belli ac pacis L. II. C. XXV. 3.* Ex iisdem rationibus, illustris HEINECCIUS bene distinguit inter iustitiam *attributricem* & *explettricem*. Illam adiudicat homini, qui officia perfecti iuris praestat: hanc illi, qui suum cuique tribuit, &

endi.  
est,  
ueri  
Id  
npe-  
ctus  
tum  
huic  
ius  
um  
len-  
ntis.  
ter-  
ex-  
elli-  
co-  
ora  
res  
ue-  
est.  
in-  
os,  
af-  
cio,  
bit  
ne-  
am  
co-  
vt  
ter



& neminem laedit, in *element. iur. ciuil.*  
 §. XXII. Hanc integram, quam late pa-  
 tet, doctrinam, egregie pro more suo  
 perfequuntur Illustris de WOLFF in *philo-  
 sophia practica vniuers.* P. I. §. 118. seq. &  
 celeb. KOEHLERVS de *iure nat. cogente*  
*Exerc. IV.*

### §. VIII.

#### *Obligatio Parochi & ius heredum.*

*Parochus perfecte est obligatus ad inui-  
 sendos aegrotos, cosque ad aeternitatem  
 beatam praeparandos, & aegroti eorum-  
 que cognati aut heredes iure perfecto s.  
 stricto gaudent, a parochi curam aegro-  
 tantium & moribundorum spiritualem  
 poscendi. Nam palmarium & praeci-  
 puum parochi est officium, aegrotos  
 visitare, sanctisque alloquiis, preci-  
 bus feruidioribus ex imo pectore fufis,  
 sacrae coenae vsu caute & prudenter  
 adhibito ad mortem beatam praepa-  
 rare §. II. III. Quidquid in hoc gene-  
 re officium parochi flagitat, illud om-  
 ne ad obligationem eius perfectam  
 pertinet, quia his sub conditionibus  
 ad illud officium fuit admotus, eas-  
 que*

que acceptauit, nec non mandato munere bene & nauiter se functurum esse pollicitatus est. Enimvero pacta & promissa sunt seruanda; & qui obligationi ex iure pactitio, quod vocatur, satisfacere noluerit, ad praestandum illud, quod promisit, cogi omnino potest, per vulgaria Iur. nat. placita; cuiusmodi obligatio dicitur perfecta §. VII. Quibus de cauffis, quin parochus perfecte sit obligatus ad inuisendos aegrotos, eosque ad aeternitatem beatam rite praeparandos, dubitari non potest. *Quod erat unum.*

*Aegroti eorumque cognati aut heredes ius strictum s. perfectum habent, a parochi curam eorum spiritualem pascendi.* Nam parochus perfecte est obligatus, ad visitandos aegrotos, eorumque curam spiritualem suscipiendam, vt mortis via feliciter ad beatam aeternitatem adspirent, per demonstr. praeced. Atqui perfecta obligatio ius cogendi alterum, vt obligationi suae satisfaciat, si hanc explere recusauerit, complectitur §. VII. Quum igitur pasto-

pastores istam obligationem perfectam aegrotos visitandi, ipsis aegrotantibus praestare debeant, quorum personam cognati aut heredes, ob virium imbecillitatem saepenumero sustinent: in aprico est positum, aegrotis eorumque heredibus aut cognatis, ius strictum s. perfectum competere, a parochis curam illorum spiritualem poscendi. *Quod erat alterum.*

*Scholion.*

Obligatio perfecta, quando nominatur, non quidem ita est interpretanda, ac si coactio cum ipsa necessario debeat esse coniuncta. Minime. Sufficit, ius cogendi ista obligatione, quae dicitur „perfecta, contineri, quamvis ad actum non perducatur §. VII. Illam vero, quae parochis incumbit, ex iure pactitio deriuavimus; quia haec commodissima atque evidentissima huius officii demonstrandi ratio videbatur. Obligationem pacto firmatam, esse perfectam, & ius exinde natum, esse strictum, ex iuris naturae placitis tamquam satis cognitum atque exploratum decerpimus. Si quis tamen ipsam demonstrationem poposcit, hanc veluti per lancem  
saturam

satura[m] hoc loco exhibemus. Quidquid  
 ex pacto transfertur in alium, illud non  
 amplius est nostrum, sed res alterius.  
 Quodsi igitur operam nostram in commo-  
 dum alterius conuertere promittimus, id-  
 que ab altero simul acceptatur: tunc ex  
 pacti ratione ista opera in commodum  
 vsusque alterius praestanda, est res alteri-  
 us. Verum ut suum cuique tribuatur, id de  
 iure stricto potest exigi. Quamobrem ope-  
 ra parochi spiritualis in vsum aegrotantium  
 ex officii tamquam pacti ratione praestanda,  
 est res aegrotantium & parochus cogi potest  
 ad istud officium rite explendum, eiusque ob-  
 ligatio est perfecta. Conf. celeb. KOEHLER-  
 VS, *de iure nat. cogente, Exercit. VI.*  
 Ceterum parochum habere ius perfectum  
 ad meram aegrotantium curam spiritua-  
 lerendam, exinde intelligitur, quia perfe-  
 cte est obligatus §. VII. De iure stricto igitur  
 modo licito repugnare potest illis, qui  
 impediunt, quo minus officio suo satisfacere  
 possit §. cit. Agit nimirum ex officio ac  
 lege, quam mutare & abolere nequit. Ho-  
 rum immemor mala coactionis, in se ipso  
 experiatur necesse est, ad quae propulsan-  
 da, recte agendo ius strictum habet.

C

§. VIII.

## §. VIII.

*Quae obligatio sit nulla?*

*Parochus, quatenus aegrotum visitat officii tantum causa, non est perfecte obligatus ad curam rerum terrestrium, suppellectilis, voluntatisque morientium ultimae gerendam. Etenim officium parochi requirit, ut curam animae aegrotantium spiritualem suscipiat, eoque magis omni virium contentione ea in re elaboret, quo propius ac certius ex imminente mortis periculo ad aeternitatem accedunt §. III. Qua de causa id ipsum praecipuum & palmarium est parochi officium, §. cit. Schol. Quibus ex rationibus omni euidencia munitis perfectam eius obligationem aegrotos eo tantum consilio inuisendi, ut ad mortem beatam illos praeparet, nec non ius perfectum s. strictum aegrotantium, eorumque cognatorum aut heredum ad poscendos parochos explendi istius officii causa, continua atque indiuisa ratiociniorum serie deduximus. §. VII. VIII. Quum igitur*  
 ex

ex ista officii parochorum ratione, cuius administrandi gratia a clinicis vocatur, plane non determinetur cura rerum terrestrium, supellectilis voluntatisque vltimae morientium de bonis hereditatis iure relinquendis, iisque extrema post fata diuidendis: hinc euidenter intelligitur, quod parochus, quatenus officii tantum causa, aegrotantes ineluctabili saepe cum morte conflictantes visitat, perfecte non sit obligatus ad curam rerum terrestrium, supellectilis voluntatisque vltimae morientium suscipiendam.

Potest etiam hoc modo per *indirectum*, quod vocant, demonstrari. Finge, parochum perfecte esse obligatum, quatenus aegrotum tantum officii causa visitat, ad curam rerum terrestrium, vtpote supellectilis voluntatisque vltimae moribundorum suscipiendam: tunc aegrotantes, eorumque heredes & cognati haberent ius strictum ad cogendos parochos, vt res fluxas & terrestres curae cordique habeant §. VII. & quidem ex officii sa-

cri, quo tum temporis funguntur, ratione, per hypothefin. Enimvero ea est plurimorum hominum peruerfa & corrupta indoles, etiam aegrotantium, inprimis heredum, qui bonis morientium inhiant, vt terrestria magis curent, quam caeleftia. Vnde perfpicitur, nihil illos nifi ius cogendi parochos adhibituros effe ad terrestria curanda, fpiritali fubinde animarum cura prorfus abiecta, aut fi nonnihil operae in faluandas animas conferendae concederent, illud leuiffimi vel plane nullius foret momenti. Quum igitur ex ifta hypothefi officium parochi in curam clinicorum fpiritualem incumbentis prorfus abolendum effet, quod fieri tamen ex mandato diuino §. III. nullo modo potest: hinc fequitur, vt obligatio perfecta non cadat in parochum, quatenus aegrotos tantum vifitat officii cauffa, ad curam rerum domesticarum, qualescunque fint iftae, fufcipiendam.

Scho-



*Scholion.*

Ista igitur omnia, quae legitimo argu-  
 mentorum nexu demonstrauiimus, adeo  
 sunt euidentia, vt nihil dubitationis in ar-  
 cem huius caussae inuadere posse videatur.  
 Quodsi praeterea animum advertere velis  
 ad incommoda, quae ex obligatione hu-  
 iusmodi perfecta, ficta nimirum & ex falsa  
 hypothesi adsumta prono fluunt alueo, cla-  
 rius elucebit, istius modi curam terrestrem  
 ab officio parochi esse alienissimam. Finge  
 parochum esse perfecte obligatum, quate-  
 nus aegrotum ex officii ratione inuisit, ad  
 curam bonorum terrestrem suscipiendam,  
 quid quaeso clericus, nimirum is, cui mens  
 est laeua, magis captaret, quam praemi-  
 um illius negotii amplissimum, magnam-  
 que bonorum partem fraude ac insidiis si-  
 bi vindicaret, moribundorum voluntatem,  
 specie etiam pietatis praetexta, largaque  
 remuneratione diuina in caelis terrisque fu-  
 tura liberaliter promissa, ad sua commoda  
 flecteret. Hinc plurima damna in rem  
 publicam fractis quasi claustris & repagulis  
 omnibus redundarent, patrimonio scili-  
 cet heredibus maximam partem praerepto  
 atque in rem parochorum conuerso. Fre-  
 quens est iste iuris alieni abusus inter Ro-  
 manenses, in primis Iesuitas, qui nihil



magis sitiunt, & anhelò venantur studio, quam patrimonia diuitem, maxime viduarum, vnde ordini, quem tuentur, suo, ingentes diuitiarum thesauros conciliant; cui fauet mos ille peruersus testamenta faciendi ex Iure Canonico pontificio §. V. Schol. Conf. CHRISTIAN AVGVST SALLIGS *vollstaendige Historie der Augsburgi-schen Confession, zweiter Theil, V. Buchs, viertes Capitel, §. 38. p. m. 181. fs.*

§. X.

*Continuatur.*

*Neque Parochus, quatenus aegrotum tantum visitat officii causa, imperfecte est obligatus ad curam rerum domesticarum, utpote supellectilis voluntatisque ultimae morientium suscipiendam. Supra enim demonstraui, quatenus aegrotum solius officii causa visitat, illum vim mentis omnem in id dirigere debere, vt animam sanctis ac caelestibus colloquiis praeparet ad felicem exitum e corpore in vitam beatam, obstinatos nimirum vi legis percellendo, afflictos aut legis terrore perculsos consolationibus e sancto Euangelio petitis erigendo*

gendo, sacrae etiam coenae vsu caute  
& prudenter adhibito; id quod pal-  
marium ac praecipuum est parochi offi-  
cium, quo numquam satis nedum ni-  
mis perfungi potest. §. III. IIII. Qua  
de caussa verbi divini minister, qua-  
tenus officium suum in aegrotis ad bea-  
tam mortem rite praeparandis ex man-  
dato diuino administrare velit, cui per-  
fecte obstrictus est, per *praecedentia*,  
animum ab omni rerum terrestrium  
cura in aedibus aegrotantium, duran-  
te nimirum ipsa clinicorum cura spiri-  
tuali, abstrahere debet. §. cit. Vnde  
porro sequitur, vt parochus, quate-  
nus officii caussa agit, ad res domesti-  
cas, supellectilem scilicet & loquelas  
de bonis aliquando inter heredes diui-  
dendis, attendere prorsus non debeat,  
sed ipsis potius se praesente silentium  
iniungere possit, ne quid de arduo isto  
officio delibetur. Haec omnia si par-  
ochus omitteret, terrestria meditans,  
vbi tractare caelestia debebat, proti-  
nus officium suum flocci penderet, &  
oppido peccaret. §. IIII. Ad peccan-

dum nulla potest fingi obligatio, quia peccare est legi repugnare, eamque transgredi. Verum obligatio quando dicitur imperfecta, simul obligatio vera esse contenditur §. VII. Quaecum sit nulla ex officii parochorum ratione per iam *declarata*, ad curam rerum terrestrium in ipso actu curae spiritualis vel susceptae vel suscipiendae, gerendam: hinc sequitur, ut neque imperfecta premantur obligatione, ad istiusmodi curam circa lectos aegrotantium recipiendam & sustinendam, quatenus partes officii sui explere student.

Potest etiam sequenti argumentorum nexu demonstrari: Finge parochum imperfecte esse obligatum, quatenus officii causa aegrotos inuisit, ad res eorum terrestres curandas, tunc ex ipsius officii natura ac indole concipi huiusmodi negotium deberet. Verum ex definitione parochi, vi cuius est persona ecclesiastica ad verbum divinum publice pariter ac priuatim proponendum & sacramenta rite administran-

niſtranda, legitime ordinata §. I. prorsus non ſequitur, quatenus hoc ſuo fungitur officio, vt bona moribundorum curare debeat, ſed animam. Quodſi contrarium ſumas, res iſtiusmodi terreſtres inter caeleſtia & ſpiritualeſſent referendae, quae ſoli parochorum curae ſunt mandata, quando & quatenus prouinciam ſuam ornant. Quod cum ſit abſurdum, nec non inſtitutis diuinis prorsus contrarium, parochum obligatione etiam imperſecta non vrgeri ad res aegrotorum terreſtres curandas, extra omnem dubitationis aleam ponitur.

*Scholion.*

In omni hac demonſtrationis ſerie caute & circumſpecte interſeruimus verba: *quatenus officii cauſſa aegrotos viſitat*, cet. Illud enim perſpectum & exploratum habemus omnes, parochum neglecto officio ſuo, aut, ſi mauiſ iam peracto & proſtigato, nonnihil alieni agere, & moribundorum aequae ac heredum petito poſſe gratificari. Hoc non negamus. Si neglecto aliquid egerit officio oppido peccauit, & ſeueram meretur cenſuram. Sin rite peracto illo proſpicit ratio-



rationibus morientium & heredum, iure quidem dubitatur, an partes muneris sui, sacri scilicet, quoad eius fieri debebat, perfecte impleuerit, cui nimium satisfieri nequit §. II. III. Digna sunt verba B. HARTMANNI, *pastorali euangel. L. III. C. LX. §. IV.* quae huc transcribantur: *Ardeat ubique pastor zelo iuuandi animam illam, quae luctatur aut versatur inter confinia vitae ac mortis ad aeternitatem properans. Eiusmodi enim zelus non solum pastorem reddet alacrem ad ferendas molestias, quae subinde sunt subeundae. sed & reddet attentum & vigilem, ut nihil omittat eorum, quae opem & solatium poterunt adferre. Deinde studeat, ut infirmum sibi reddat beneuolum, ita tamen ut intelligat, nihil proprii commodi aut lucri causa, sed solam animae salutem intendi. cer.* Quodsi vero concedamus, pastorem expleuisse partes officii omnes, ut addi nihil posset, agit tamen praeter officium, non vi illius: quando ad lectos aegrotantium ciuilibus ipse negotiis implicatur. Quo facto vel ipse fateatur excusationis causa, se postquam functionem sacram omnibus numeris reddidisset absolutam, hoc nimirum egisse tamquam alienum, vel, si negauerit, heredibus illud probandum est, vbi testimonium parochi  
non

non nihil ponderis habere iudicetur.

Ceterum, *quum verbi diuini ministro neque perfecta neque imperfecta incumbat obligatio*, quippe quod haecenus demonstrauimus, hinc apparet, *nullam plane in ceruices illius posse deuolui*. Aliud enim obligationis genus, quod adstringere queat agentem, excogitari non potest, per *vulgaria Iuris naturae decreta*.

§. XI.

*Quo iure careant heredes.*

*Heredes aut cognati morientium ius neque perfectum, neque imperfectum habent curam rerum domesticarum a parochio flagitandi, quatenus officium in mera aegrotantium cura spirituali praestat.* Obligacionem enim perfectam parochum non vrgeri ad res aegrotantium terrestres curandas, demonstratum fuit, §. VIII. Vbicunque locum non habet obligatio perfecta respectu eius, qui est obligatus, ibi nec ius perfectum cogitari potest respectu alterius, cui est obligatus §. VII. Quamobrem heredes aut cognati non habent ius perfectum

a parochō curam rei domesticae flagi-  
randi, quatenus officio suo circa le-  
ctos aegrotantium rite fungitur *Quod  
erat unum.*

Similiter obligationem etiam im-  
perfectam parochō non incumbere §.  
X. demonstrauius, vt rationem re-  
rum domesticarum & voluntatis vlti-  
mae morientium habeat, quando &  
quatenus munere sacro ad praeparan-  
dos fungitur aegrotos. Vbicunque  
autem non est obligatio imperfecta re-  
spectu illius, qui obligatus esse concipi-  
tur, ibi nec ius potest cogitari im-  
perfectum respectu alterius, cuius in  
commodum ista obligatio est praestan-  
da §. VII. Hinc sequitur, vt heredes  
aut cognati morientium ius etiam im-  
perfectum non habeant, curam rerum  
terrestrium a parochō petendi, qua-  
tenus aegrotantibus praesto est, in cu-  
ra ac medela animae excubiturus.  
*Quod erat alterum.*

Potest etiam sequenti ratione  
demonstrari:

Fac, heredes habere ius perfectum



a pastore, quatenus in officio sacro ad lectum aegrotantis est occupatus, curam rei domesticae exigendi, tunc illum cogere possent, ad abiiciendam curam spiritualem, & recipiendam ac sustinendam curam rerum terrestrium, durante ipsa functione sacra; adeoque parochus perfecte foret obligatus ad hoc agendum §. VII. VIII. Quod cum sit absurdum & aperte falsum per superius demonstrata: hinc sequitur, ut heredes aut cognati morientium tale ius non habeant. *Quod erat unum.*

Similiter finge, heredes aut cognatos ius tueri imperfectum, a pastore, quatenus in officio sacro ad lectos aegrotantium est occupatus, curam rei domesticae & voluntatis ultimae de rebus hereditatis iure relinquendis, suscipiendam flagitandi: tunc ius illis competeret, ab ipso flagitandi, ut officium suum in cura animae spirituali occupatum, quatenus nimirum hoc iam solum praestat, atque in explendo illo nunc est operosus, negligat pro mera heredum libidine, & prorsus



sus aliena tractet; quo facto cura ani-  
 marum mox corporis e contubernio  
 ad aeternitatem emigrantium, infrin-  
 gitur, extenuatur, & paullatim ab-  
 oletur; adeoque parochus ex ficto  
 eiusmodi iure ad peccandum inuitari  
 & allectari posset, §. III. Quod  
 quum sit absurdum & plane impium,  
 euidenter patet, heredibus aut cogna-  
 tis neque ius imperfectum competere  
 a parochus flagitandi, quatenus in of-  
 ficio sacro ad medelam animae exer-  
 cendam est operosus, vt curam rerum  
 terrestrium suscipiat. *Quod erat alte-  
 rum.*

§. XII.

*Carent omni.*

*Heredes aut cognati ius nullum habent  
 a parochus exigendi talia.* Nam neque  
 ius perfectum habent, talia a parochus  
 poscendi, quemadmodum demonstra-  
 uimus §. XI. quamuis ius illis strictum  
 competat, a pastore curam animae  
 spiritualem flagitandi. §. VIII. Ne-  
 que iure gaudent imperfecto, a paro-  
 cho

cho petendi, vt negotiis semet ciuilibus circa lectos aegrotantium immisceat §. XI. Quum igitur praeter ius perfectum, quod strictum quoque appellari solet, & imperfectum, aliud excogitari non possit, per vulgaria iur. nat. placita: hinc sequitur, vt heredes aut cognati ius plane nullum habeant, talia a pastore exigendi.

*Scholion.*

Si quis acutus censor iudicet, in cura aegrotantium, quae pastores decet, ciuilia a spiritualibus nimium longis nos disiunxisse parafangis, quum cura terrestrium viam saepe sternat ad spiritualem, en! ita armati in arenam descendimus. Nimirum inquirendum est, quotuplici modo hoc fieri possit. Quadruplex excogitetur ratio. Curet parochus terrestria vel eo consilio, vt auxilia, quae vocantur, paedagogica, libri videlicet salutare, instructio plenior a rerum diuinarum peritis, cet. quae expensas requirunt, comparentur, vel ea mente, vt moribundus rerum suarum sollicitus ad animi tranquillitatem perducatur, vel vt parochus amorem ac fiduciam sibi conciliet, vel vt a beneficiis terrestribus alloquio suo

suo ad caelestia adfurgat. Eligas, quod-  
 cunque velis, res nostra erit in vado. Si  
*prius*: breue illud & irreparabile tempus,  
 quo aeternitati vicinus est aegrotus, ope-  
 rosus hunc laborem respuit. Neque paro-  
 chus haberi potest pro communi tutore  
 aut curatore bonorum, aut pro parente,  
 quorum est, rationibus liberorum & pu-  
 pillorum ita prospicere, vt auxilia paed-  
 gogica sumtibus comparanda arcessere pos-  
 sint. Deinde cura spiritualis ad lectos ae-  
 grotantium hac opera adeo infringeretur,  
 vt vix umbram sui relinqueret; quod of-  
 ficio sacro repugnat. §. II. III. Sin *alte-  
 rum*: tranquillitas animi ea re plane non  
 efficitur, propter interdictum de testamen-  
 tis a parochis non ordinandis. §. V. Schol.  
 Ipse rationibus spiritualibus compe-  
 scat mentium perturbationes, non terrestribus.  
 Hortetur moribundos, vt ex ciuitatis lege  
 sibi suisque in medium consulant, animum  
 vero precibus assiduis sanctisque medita-  
 tionibus praesente parochis eoque adiutore,  
 Deo commendent, ne quid de arduo isto  
 praeparationis ad aeternitatem beatam neg-  
 otio temere delibetur. Si *tertium*: amo-  
 rem sacro ministerio sibi conciliet. Vbi  
 aliena poposcerit aegrotus, aut tentauerit  
 parochus, neque amatur, neque amat vt  
 anima.

animarum pastor, sed vt bonorum curator. Sin *quartum*: conceditur, a terrestribus beneficiis colloquendo posse adsurgere ad spiritualem animae curam. Qua in re nobis praeluxit seruator O. M. *Matth. VI. 25. Is. & Christi legatus. Act. XIII. 17. Rom. I. 19. 20.* Verum quis inde fingat necessitatem curandi terrestria aegrotantium bona, vt nascatur occasio, animum ad caelestes cogitationes dirigendi? Nonne diuina beneficia in promptu sunt quam plurima? Nonne calamitates, & ipse morbus, quocum conflictantur, ansam porrigunt ad caelestia meditanda? Hinc decerpat, & sacrum in vsum conuertat pastor, quidquid velit, & quod commodissimum videatur; quamuis curam terrestrium non suscipiat, qua spiritalis eneruatur, extenuatur. §. cit. Christus legatis suis talia non iniunxit, sed auditoribus, vt alant praecones, eorumque vitae & commodis prospiciant, *Matth. X. 1-16.* quocum consentit diuinus PAVLVS, qui spiritalia serere iubet parochos, non curare terrestria. 1. *Corinth. VIII. 11-14. coll. Luc. X. 7.* Instructio Apostolorum, *Matth. XXVIII. 19. 20. Marc. XVI. 15.* non nisi caelestia spirat; id quod nauiter praestiterunt ipsi, *Act. XX. 20. 21. 28. 2. Timoth. IV. 1-8.* Ne parochus

D

ciuili-

ciuilibus semet implicet negotiis, PAVLLVS  
 vetat, 2. *Timoth. II.* 4. Ceterum stipe colla-  
 ta, bonis consiliis aliisque beneficiis curae  
 animarum minus noxiis illum succurrere au-  
 ditoribus posse, per se patet; quae res tamen  
 non est huius loci, vbi de cura aegrotan-  
 tium agitur spiritali, & quidem, quod  
 saepissime inculcauimus, *quatenus* suscipitur  
 ex interna sacri officii ratione.

## CAP. II.

QVO

DEMONSTRATVR, IVRAMENTVM ASSER-  
 TORIVM DE REBVS TERRESTRIBVS, PAROCHO  
 QVATENVS IN MERA AEGROTANTIVM CVRA  
 SPIRITVALI EVIT OCCVPATVS, NON  
 ESSE DEFERENDVM.

### §. XIII.

*Iurare quid sit?*

*Iurare* dicitur, qui Deum inuocat  
 testem veritatis dictorum & vindicem  
 mendacii ac perfidiae. *Iusiurandum*  
 igitur est inuocatio Dei tamquam te-  
 stis veritatis dictorum & vindicis men-  
 dacii ac perfidiae. Haec nimirum sunt,  
 quae ad iusiurandum necessario requi-  
 rantur; Vbi per se patet, ex animo  
 iuran-

iurantis ad confirmandam eloquii veritatem illud semper adhiberi. Si quis Deum testem tantum inuocet, veritatem adseueraturus, at non vindicem mendacii aut perfidiae, is alterutram tantum partem iurisiurandi explet, altera neglecta. Vtrumque si coram iudice fiat, ita vt iuraturus rite compellatus sit atque vocatus, in foro soli habetur pro *legali* & perfecto. Sin minus, vim nullam habere in foro iudicatur. Differt iusiurandum ab adseueratione, tamquam id quod maius est, ab eo, quod est minus. Nam adseuerare idem est, ac ad suam ipsius conscientiam tamquam testem veritatis prouocare, quando aliquid verum vel falsum esse adfirmamus. Quamobrem *adseueratio* est, probatio veritatis dictorum per conscientiam testem; quod patrio sermone dicitur eine *Betheurung*. Vnde facile perspiciatur, illam gradu tantum differre a iureiurando.

LLVS  
colla-  
curae  
ere au-  
tamen  
rotan-  
quod  
cipitur

SSER-  
ROCHO  
VRA  
N

locat  
icem  
ndum  
n te-  
men-  
sunt,  
equi-  
nimo  
iran-



*Scholion.*

Iurisiurandi definitionem pro vsu vo-  
cis recepto suppeditauimus, quam vir ma-  
gnus illustris Baro de WOLFF exhibuit *Iur.*  
*nat. P. III. C. V. §. 852.* Adseueratio pro  
genere potest accipi, iusiurandum pro spe-  
cie. Nam qui iurat, ille probat veritatem  
dictorum, ita vt simul Deum testem veri-  
tatis & vindicem mendacii ac perfidiae in-  
uocet. Hoc autem aliter fieri nequit,  
quam ita, vt conscientiam testem, si minus  
verbis, at ipso tamen facto proferamus,  
rei nimirum confirmandae & stabiliendae  
nos aliter nobis non esse conscios, quam  
quidem ipsis verbis enuntiat. Quodli-  
bet igitur iusiurandum est adseueratio.  
Qua de caussa illustris BOEHMERVS iura-  
mentum definit, adseuerationem seriam &  
religiosam, in cuius confirmationem Deus  
vocatur in testem & vindicem. *Institut.*  
*Iur. Canon. L. II. Tit XXIV. §. 11.* Vt  
iuri iurando sua constaret perfectio atque  
integritas, populorum proceres varias ex-  
cogitarunt formulas iurandi, ne variis di-  
uerticulis se conderet malignarum mentium  
perfidia; qua de re conferatur laudatus il-  
lustris BOEHMERVS *institut. Iur. canon.*  
*L. II. Tit. XXIV. & Tom. I. Iur. Eccles.*  
*append. nec non illustris de WOLFF Iur.*  
*nat.*



nat. p. III. §. 889. Schol. Christi cultori-  
bus haec sollemnia sunt: *Deum testor, &  
ita me Deus adiuvet per Iesum Christum.*  
Iurisiurandi naturam, & periurium quam  
grande sit crimen, pro more suo, id est,  
egregie declarat vir magnificus & summe  
Reuerendus D. IOHANNES HERMAN-  
NVS BENNER in Responso theol. cedro  
dignissimo sub Tit. *christliches Bedencken  
von dem vorsetzlichen Meineid.*

§ XIII.

*Iurisiurandi diuersae species.*

Iurisiurandum in varias dispescitur  
species, pro obiectorum, in quibus  
versatur, diuersitate. Diuiditur in  
promissorium & adsertorium. *Adser-*  
*torium* vocatur, quod praestatur de  
veritate dictorum, quibus aliquid nu-  
de adfirmatur vel negatur. *Promissorium,*  
quod praestatur de veritate dictorum,  
quibus aliquid promittitur. Diuiditur  
etiam in purgatorium & suppletorium.  
*Purgatorium* est, quod praestatur ad pro-  
bandam falsitatem imputati facti illiciti.  
*Suppletorium,* quod praestatur ad consum-  
mandam & perficiendam probationem,  
quae pro imperfecta habebatur. Pro-  
batio

batio nimirum ante iusiurandum postmodum accedens, quae facta erat per testes alios, iudicatur femiplena, cuius supplendae causa, iusiurandum deferretur, quod ea de causa vocatur suppletorium. Praeter ista aliae existunt species, cuiusmodi sunt iusiurandum calumniae, dandorum & respondendorum, in positionibus necessarium, religionis, simoniae, & quae sunt reliqua. Sed ista omnia non sunt huius loci. De solo adfertorio nobis est sermo, quod parochis de rebus terrestribus, quae ad lectos aegrotantium accidisse feruntur, quatenus in sacro versantur negotio, deferendum non esse demonstratum imus.

### §. XV.

*Testis quis sit?*

*Testis* est is, qui declarat, se eventum singularem, dum praesens fuerit, sensu percepisse, vel sibi relatum fuisse ab aliis, illum contigisse. Est igitur vel oculus vel auritus. *Oculus* est,

est, qui rebus, quas narrat, ipse inter-  
 fuit, dum acciderunt, adeoque prae-  
 sens eas sensu percepit. *Auritus* est,  
 qui rebus, quas enarrat, ipse non in-  
 terfuit, dum acciderunt, sed accidisse  
 illas, ex ore aliorum accepit. *Testis*  
*habilis* dicitur, qui potest aequae ac vult  
 veritatem facti recensere. Ut igitur  
 talis sit, requiritur, ut usum intelle-  
 ctus sensusque ad percipiendum habe-  
 at idoneos. Deinde ut animi integri-  
 tate polleat, a fallendi cupiditate alie-  
 nus verique studiosus. Illum si physice,  
 hunc moraliter habilem appellare  
 velis, nihil pugnamus. Nos utrum-  
 que vno quasi fasce comprehendimus,  
 quia utrumque ad testem habilem re-  
 quiritur. Testis quis sit inhabilis, ex  
 oppositorum ratione facile intelligitur.  
 Qui habilis nuncupatur, iterum esse  
 potest vel *satis instructus*, vel *minus instru-*  
*ctus*. *Hic* dicitur, qui vel attentionem  
 vix ac ne vix quidem leuem vel pla-  
 ne nullam, in factum, cuius proba-  
 tio petitur, direxit, aut direxisse cen-  
 setur. *Ille* contra, qui attentionem  
 D 4 suffi-

post-  
 e per  
 cu-  
 dum  
 voca-  
 aliae  
 ius-  
 &  
 eces-  
 quae  
 sunt  
 is est  
 erre-  
 tium  
 acro  
 non

uen-  
 erit,  
 n fu-  
 igi-  
 larus  
 est,



sufficientem in factum illud, cuius probatio intenditur, direxit, aut direxisse iudicatur, ex probabili, saltem possibilitatis ratione. Barbaro vocabulo dicitur testis *qualificatus*. Interim *habilis*, qui *naturaliter* est talis, *respectiue* potest esse *inhabilis*. *Naturaliter habilis* est, qui sensibus ad recte percipiendum aptis & sana gaudet ratione. Is vero potest esse *respectiue inhabilis* quando rem aliquam, cuius testimonium quaeritur, vel absens, vel ubi praesens fuerit, ex officii, quod omnem sibi attentionem vindicat, aut aliarum rerum circumstantium ratione, sensu percipere non potuit. Quo pacto testis est *physice inhabilis*. At ubi lege etiam interdictum fuerit, ad res istiusmodi attendere, illud pro moraliter impossibili simul est habendum, & testis *moraliter* est *inhabilis*. *Testis iuratus* est, qui veritatem dicti iureiurando confirmat. *Non iuratus*, qui veritatem facti fateretur quidem, at iureiurando tamen non confirmat.

Scholi-

*Scholion.*

Testem oculatum praefendum esse aurito, per se pater. Nam aurito fides non habetur, nisi propter oculatum, a quo, quod narrat, accepit. Oculatus igitur praestantior est aurito. Hoc testimonio confirmat suo PLAVTVS, qui in comoed. Trucul. Act. I. sc. 6. *Pluris est, inquit, testis oculatus vnus, quam auriti decem. Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt.* Et SENECA epist. 6. *Plus homines oculis, quam auribus tribuunt.*

§. XVI.

*Iusiurandum deferre quid sit?*

*Iusiurandum alteri deferre dicitur, qui serio declarat, se velle, vt alius iuret. Est igitur iurisiurandi delatio, seria voluntatis declaratio de ipso ab alio praestando. Is cui adfertorium defertur, tamquam testis compellatur ab altero, quod vbi acceptatur, ipse testis euadit iuratus. §. XIII. XV. Omnis autem testis, cui vel nuda adferueratio, vel iusiurandum defertur, habilis fit oportet §. XIII. XV. Nam*

D 5

testis

testis inhabilis nihil probat, cum vel non possit, vel nolit proloqui, quod verum est, quo nihil plane ad stabilendum verum confertur, §. cit. Enimvero cum ea sit plurimorum hominum indoles, vt vel lucri spe abrepti, vel aliorum odio atque inuidia fascinati, vel aliis de caussis, quod verum est, aperte & ingenue profari recusent, inde factum est, vt coram iudice nuda adseueratio parum ponderis habeat; id quod canon ille notissimus in foro receptus comprobatur: *Testi non iurato non creditur.*

*Scholion.*

Neque tamen vbique terrarum tantus est legis rigor, vt nihil plane remittatur de ineluctabili ista iurandi necessitate, habita nimirum personarum, quibus iusiurandum deferatur, ratione. Ita B. BALDVINVS Wittenbergensium quondam Theologus celeberrimus in Tr. *de casibus conscientiae* L. II. C. IX. cas. V. 4. pronuntiat, personas ecclesiasticas in causa religionis quidem iurare posse, in foro autem iuramentum iis non esse deferendum, idque iam

iam inter paganos vsu receptum firmatum-  
 que esse, probat ex PLVTARCHO *quaest.*  
*Roman.* 44. qui id ipsum quatuor cautis  
 commontrat ac defendit 1) quia iuramen-  
 tum sit tormentum, at sacerdotes omnis tor-  
 turae tam in corpore quam in anima expectes  
 esse debeant. 2) quia non sit verisimile, eum  
 in minimis rebus fallere, qui ne quidem in  
 maximis & diuinis fallere fuit deprehensus.  
 3) quia omne iuramentum in execrationem  
 reuera tristem abeat, absurdum autem sit, eum  
 qui benedictionem & salutem praedicet, ad  
 execrationem atque diras adigi 4) quia ca-  
 lumniae periurii periculum sit in iuramentis,  
 cuius occasionem sacerdoti praebere non delea-  
 mus. B. LVDOVICVS DVNTE in *d. c. i.*  
*cas. confc. p. 725.* ad hanc quaestionem ita  
 respondet ex ANDREA GAYLIO L. I.  
 pract. obseru. Solet iuramenti remissio fie-  
 ri personis illustribus, aut in aliqua dignitate  
 & officio publico constitutis. Et post pauca  
 ex facult. lenens. responsis: In evangelischen  
 Kirchen wird: so gehalten, dass die Pastores  
 auf anhalten der Partheien für die Ehrwürdi-  
 ge Consistoria gestellet, allda bey denen Pfl ch-  
 ten, bey welchen ihnen die Pfarrkinder besoh-  
 len, angeböret, und ohne leibliche Eideslei-  
 stung ihre Aussage angenommen uud beliebt  
 wird. At pridem etiam inter Christianos  
 paro-

parochis tantum libertatis non fuit concessum, qua prisco tempore fruebantur, norante illustri BOEHMERO, *Instit. iur. canon. L. II. Tit. VII. §. H.* vbi olim, inquit, clerici non iurabant; postea tamen eidem necessitati sunt subiecti. Prius illud stabilitum fuit Concilio Rhemensi, referente IOSV ARND, *Lex. Antiquit. eccles. Tit: Iuramentum §. 45.* cuius haec sunt verba: Nullus ex ordine ecclesiastico cuiquam laico quidquam supra sancta euangelia iurare praesumat, sed simpliciter & cum veritate dicat: EST, EST, NON, NON. Non igitur licuit clerico iurare. Et paucis interiectis, §. 47. ex Concil. Tribur. c. 21. de controuerfia inter laicum & presbyt. *Laicus per iuramentum si necesse sit, expurgetur, presbyter vero vice iuramenti per sacram consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex leui causa iurare non debent.*

## §. XXII.

*Quando non iurandum!*

*Sine necessitate non est iurandum.* Iuratur autem sine necessitate, vel in causa futili ac leui, adseueratione iurantis indigna, vel in causis per se manifestis, de quibus nemo sanae mentis dubita-



dubitauerit, vel respectu ad testem  
 habito, ita vt nullo modo ex factis  
 euidentijs rationibus pro teste habe-  
 ri possit. Quia iurans Deum invocat  
 testem veritatis dictorum & vindicem  
 mendacii aut perfidiae §. XIII. ad pro-  
 bandum verum, nomen Dei vsurpat,  
 quod ex ipso Dei mandato in vanum  
 adhiberi non debet. *Exod. XX. 7.* Ve-  
 rum in re futile ac leui, quam scire al-  
 terius nihil interest, si quis iurauerit,  
 nomen Dei sine necessitate, adeoque  
 frustra & prorsus in vanum vsurpat,  
 quod interdicto diuino aduersa fronte  
 repugnat. In caussis per se manifestis,  
 de quibus nemo sanae mentis ambigit,  
 qui iurat, similiter nomen diuinum  
 vsurpat in vanum. Nam res per se  
 clara vltiore haud indiget probatio-  
 ne, ne adseueratione quidem nuda,  
 nedum iureiurando; id quod vulgaris  
 iste canon comprobatur: *vbi rerum testi-*  
*monia adsunt, non opus est verbis;* quod  
 TVLLII, maximi Romanorum Rhe-  
 toris effatum omnium in ore versatur,  
*declamat. in Sallust.* Tandem respectu  
 ad

ad testem habito, qui nullo modo rationibus ex evidentibus pro teste haberi potest, si iurauerit idem, aut iureiurando semet adstringi patiat, is sine necessitatis decreto iuraret, & hanc ob causam nomen Dei adhiberet in vanum. Si quis enim pro teste haberi plane non potest ac debet, & quidem ex rationibus sat evidentibus constat, illum, rem de qua quaeritur, sensu non percepisse: tunc per se manifestum est, ita ut ulteriore probatione opus non sit, eum non esse testem. Quocirca sine necessitate iuraret, eaque de causa nomen Dei usurparet in vanum. Quum igitur, qui sine necessitate iurat, nomine Dei abutatur, abusus vero nominis diuini, deserto Dei mandato repugnet: hinc sequitur, ut nemo mortalium sine necessitate iurare debeat.

Potest etiam hunc in modum ex sanae rationis principiis demonstrari. Qui iurat, is ad Deum tamquam testem atque vindicem prouocat, atque hoc pacto Deum ipsum ut testem veritatis

titatis dictorum nec non falsi vindicem  
 sistit, eo consilio, vt eloquii veritas  
 stabiliatur §. XIII. Qui igitur sine ne-  
 cessitate iurat, is ipsum Deum sine  
 necessitatis ratione tanquam testem  
 veritatis sistit & vindicem mendacii,  
 illius scilicet finis impetrandi causa.  
 Verum quum Deus pro omnisapientia  
 sua nihil agat sine necessitate, finis cu-  
 iusdam obtinendi gratia, sequitur, vt  
 is, qui temere iurat, Deum ipsum  
 aliquid contra omnisapientiam aequae  
 testari ac vindictam comminari fingat.  
 Qui Deo aliquid tribuit, quod ipsi per  
 proprietates infinitas tribui nequit, ille  
 peccat. Vnde euincitur, quod nemo mor-  
 talium sine necessitate iurare debeat.

*Scholion.*

Verba, quibus interdictum de abusu  
 nominis diuini loco supra citato, exhibe-  
 tur, ita habent:

לֹא תִשָּׂא אֶת־שְׁמִי הַזֶּה אֲלֵי הוֹקֵה לְשׁוֹא

quorum sensus adeo est in aprico positus,  
 vt nihil dubitationis superfit. De significa-  
 tu vocis שׁוֹא disquiritur, vtum mendaci-  
 um solum, an *vanum, irritum, peruersum*  
 etiam

etiam quodcumque sonet. Sunt, qui de solo explicant mendacio, inter quos eminent acutissimus CLERICVS & Vir magnus HUGO GROTIUS, *Commentar. ad b. l.* Ille multus est in eo, vt sententiam suam confirmet, quem in finem ex ipso sermonis tractu, vsque vocis sacro, & PHILONIS Iudaei interpretatione, argumenta expromit. Hic קִפְּוֹ & קִפְּוֹ vnam eandemque significationem tueri adfirmat, at non negat tamen, quod amplior voci קִפְּוֹ competat significatus; quamvis B. CALOVIUS in *bibl. illustr. ad b. l.* in sinistram partem interpretetur Gronii verba, eumque Socinianorum tibias, quippe qui ad falsum iuramentum sermonem ebraeum adstringunt: inflare suspicetur; quod quidem non putauerim. Sed vocabulum קִפְּוֹ in ipso ebraeo codice in significatu *vanitatis* s. eius, quod *vanum*, *irritum* aut *temerarium* est, reperitur. Nam ita vox ebraea accipitur, *Malach. III. 14.* vbi impii homines maligna mente caussari feruntur קִפְּוֹ vanum s. irritum esse, seruire Deo. Et *Ierem. IV. 30. Ps. CXXVII. 2.* eadem significatione occurrit. Quin etiam inter priscos legis interpretes huic explicationi auctoritas non contemnenda accedit. Nam IOSEPHVS *L. II. Antiquit. ebr. cap. V.* ebraeum textum

tum his verbis explicat: ὁ δὲ τρίτος (λόγος) διδάσκει ἐπὶ μηδενὶ Φάულῳ τὸν Θεὸν ἰμύνααι, tertium (dictum) nulla de re leui (vel mala) apud Deum iurare docet. Vbi vocabulo Φάულῳ, quod leue & futile pariter significat, ac mālum, tamquam fecundo sensum vtrumque voluit complecti. Quum igitur ebraea vox vtrumque denotet, nec non praecepta diuina tam late sint explicanda, quam quidem fieri potest, per placita hermeneutica: dubitari amplius non potest, quin praeter periurium, vanum ac irritum iusiurandum, quod sine necessitate aliqua praestatur, pro abusu nominis diuini declareretur. Inter priscos patres, patriarcha Constantinopolitanus IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. ad pop. Antioch. de statu, acriter inuehitur in eos, qui iurando nomine Dei abuti haud verentur. Inter multa, quae pro diuina, qua polluit, eloquentia differuit homil. III-XII. notabilis est homil. XIV. locus, vbi ne quis etiam de incertis iuret, diserte vetat: Δῆλον, ὅτι τὸν πολιορκὸν ἀνάγκη καὶ ἐπιόρκον εἶναι, δεύτερον, ὅτι καὶ μὴ συναρπαθεῖς, μηδὲ μὴδὲ ἀκων, μηδὲ ἀγνοῶν τὸτο πάθη, ὑπ' αὐτῆ τῆ πράγματος φύσεως, καὶ εἰδὼς καὶ ἐκὼν ἀναγκασθήσετασ ἐπιόρκῆσαι πάντως. Manifestum, quod, multum iurantem & periurum esse, necessarium

E

fit.

folo  
ninet  
vgo  
mul-  
nfr-  
ira-  
NIS  
pro-  
nque  
ne-  
npe-  
s in  
ter-  
inia-  
ura-  
unt:  
puta-  
raeo  
ius,  
est,  
itur,  
nali-  
m f.  
IV.  
ione  
egis  
non  
HVS  
tex-  
tum

fit. Secundo, quod etsi non raptus aut inuitus, aut ignorans hoc patiatur, ab ipsa rei natura & voluntarius & sciens omnino peierare cogetur. Et paucis interiectis: σφαλερόν μὲν οὖν, τὸ καὶ περὶ ἑαυτῆ τινὰ ὀμνῆσαι. πολλὰ γὰρ ὑπὸ τῆς τῶν πραγμάτων περιστάσεως βιαζομεθα, *periculosum igitur de se ipso* (i. e. sibi nimis confisum) *quempiam iurare: saepius enim a rerum circumstantia cogimur*, Interprete Frontone Ducaeo l. c. p. m. 158. 159.

### §. XVIII.

#### *Violatio iuris perfecti.*

*Qui impedit, quo minus obligationi perfectae satisfiat, is ius perfectum eius, qui est obligatus, & alterius, cui est obligatus, violat.* Nam qui perfecte est obligatus, ille ius habet perfectum ad id agendum cum iure cogendi tertium, qui obstitit, ne impediat, quo minus obligationi perfectae satisfiat; quia obligatio ex lege determinata, pactis & promissis firmata, necessaria est & immutabilis. Contrarium si sumseris, cuilibet ius competeret ad impediendum, quo minus obligationi satisfieret,

ret,

ret; quo facto omnes leges, omnia iura humana & diuina eluderentur. §. VII. seq. Praeterea qui perfecte est obligatus, is ab altero cui est obstrictus, cogi potest ad id, quod debet, explendum, quia ius cogendi istiusmodi obligatione continetur, quod strictum s. perfectum nuncupatur. Ius autem alterius violare dicitur, qui illum impedit, quo minus iure suo frui queat. §. VII. Schol. Quum igitur vtrumque ius perfectum obligatione omni perfecta comprehendatur, hinc sequitur, vt is, qui alterum, quo minus obligationi perfectae satisfaciatur, impedit, ius perfectum eius, qui est obligatus, & alterius, cui est obstrictus, omnino violet.

Similiter demonstrari potest, illum, qui impedit, quo minus obligationi imperfectae satisfiat, ius perfectum eius, qui imperfecte est obligatus, violare. Etenim, qui imperfecte est obligatus, cogi quidem nequit ab altero, vt obligationi satisfaciatur, verumtamen, quatenus obligatio ex lege per se immutabili

t inui-  
sa rei  
o peie-  
Φαλε-  
νύναι.  
τάσεως  
(i. e.  
: sae-  
imur,  
p. m.

ationi  
, qui  
gatus,  
oliga-  
d id  
um,  
minus  
a ob-  
is &  
im-  
eris,  
lien-  
sfe-  
ret,



ac necessaria deriuatur, & cognitione certa ac viua apprehenditur, ius inde perfectum obtinet, illud agendi vel omit-  
tendi, quod lege mandatum aut pro-  
hibitum est §. VII. Contrarium si sta-  
tuas, transgredi legem liceret contra  
viuae cognitionis legisque ipsius inter-  
dictum, & impedire quilibet pro lubi-  
tu posset, quo minus obligationi legis  
satisfiat, vnde futurum esset, vt tristissi-  
ma quaeuis & ineluctabilia fata totum  
genus humanum pessum darent. Ius igitur  
perfectum habet, qui imperfecte est  
obligatus, cogendi alterum, ne impediatur,  
quo minus illi obligationi satisfiat. Vnde  
tandem sequitur, vt is qui impedit,  
quo minus obligatio etiam imperfecta  
expleatur, ius perfectum alterius,  
qui est imperfecte obligatus, violet.

*Scholion.*

Tale ius cogendi tamen iis limitibus  
circumscriptum & coarctatum volumus,  
quos supra §. cit stabiliuimus. Si obliga-  
tio alia ius cogendi non admittit, aut si of-  
ficium amoris ab alio non acceptatur, inui-  
to illo, quia actus amoris neque extorque-  
ri neque obrudi possunt: nihil agere vale-  
mus,



mus, nisi hoc vnicum, vt res nostras Deo commendemus, quod impediri a nemine mortalium potest, atque in voluntate recte agendi inuictō robore muniti persistamus. Intermitti autem debet coactio, quando grandiora mala inde exsurgunt, quam omiffa illa. §. cit.

§. XVIII.

*Parochus quando pro teste haberi nequeat?*

*Parochus, quatenus aegrotantes visitat officii causa, eorumque curam gerit spiritua- lem, testis rerum terrestrium, supellecti- lis voluntatisque morientium vltimae, ne- que est satis instructus, neque habilis. Ete- nim parochus neque perfecta neque imperfecta obligatione est adstrictus, quatenus aegrotantes tantum visitat of- ficii causa, curamque animarum ge- rit spiritualem, vt curam simul rei do- mesticae suscipiat, immo ad abstrahen- dos potius moribundorum animos a rerum fluxarum anxia cogitatione, obligatum semet ipsum sciat, quando officio suo fungitur, quo numquam satis perfungi potest. §. VIII. X. Ani- mus etiam pastoris ab ista rerum ter- restri-*

restrium cura plane est abstrahendus, quatenus officii causa operosus est circa lectos aegrotantium, ne quid delibetur de cura animarum spirituali, frenisque veluti laxatis omnia in peius ruant; cuius rei triste & abominandum exemplum sistit ecclesia Romanensium §. III. VIII. Enimvero ad testem satis instructum requiritur, ut attentionem sufficientem dirigat ad factum illud, cuius probatio petitur, aut illam direxisse tamen ex probabilitatis ratione iudicetur. §. XV. id quod in ipsa animarum cura spirituali fieri nequit, ut animus omnem attentionem in praeparationem animarum ad mortem beatam dirigens, simul neglecta ista cura ex officio tamen determinata, sufficientem attentionem in res terrestres dirigat, aut direxisse iudicetur. Quae cum ita sint, manifestum est, parochum, quatenus officii causa aegrotantes visitat, eorumque curam spiritualem gerit, testem satis instructum rerum domesticarum & voluntatis ultimae morientium esse non posse. *Quod erat unum.* *Par-*

*Parochus etiam, quatenus officii tantum causa aegrotantes inuisit, testis rerum domesticarum voluntatisque defunctorum ultimae habilis non est iudicandus.* Nam testis habilis est, qui potest aequae ac vult dicere quod verum est §. XV. Qui posse verum enuntiare fingitur, non tantum sana ratione polleat necesse est, sed possit etiam oportet ex officii aut rerum, quae circumstant, ratione. Quid enim sana ratio & sensuum dispositio proficit, ubi neutrum nec potest nec debet applicari ad illud sensu percipiendum, cuius testimonium ab altero quaeritur. Quodsi per officii rationem, quo quis omnem attendendi vim in caelestia dirigere debet, animus ad terrestria aduerti non potest, per praecedentia: tunc moraliter impossibile est per legem, nimirum ita, vt fieri non debeat. §. III. X. & physice simul, quia ad vtrumque percipiendum per sentiendi facultatem, quae diuersa eodem tempore non capit, vis mentis intendi, & ad notionum claritatem

euehi nequit; id quod suus quemque  
 sensus admonet. Quocirca testis, qui  
 fingitur, quatenus ex officii ratione &  
 per res circumstantes alias attentionem  
 in rem aliquam dirigere nequit, haec-  
 nus pro inhabili est iudicandus. §. XV.  
 Quae cum per superius demonstrata  
 in parochum aegrotos visitantem atque  
 in mera animarum cura spiritali oc-  
 cupatum quadrent: hinc sequitur, ut  
 parochus eo respectu pro teste habili  
 rerum domesticarum non sit habend-  
 us. *Quod erat alterum.*

*Scholion.*

Sufficit nimirum, testem pro habili  
 aut bene instructo ex probabili aut saltem  
 possibilitatis ratione haberi, quamuis non  
 sit talis. Nam probatio rei per testem  
 quaeritur. Quodsi vero probandum antea  
 esset, testem illius rei esse bene instructum,  
 quae probanda est, tunc res ipsa prius  
 probanda esset, quam quidem testem ali-  
 quis perere posset, quod foret absurdum.  
 Probabilis igitur aut possibilis minimum  
 coniectura sit oportet, illum, qui postu-  
 latur, esse testem habilem ac bene instru-  
 ctum.

§. XX.

## §. XX.

*Testis rerum domesticarum qualis esse debeat?*

*Testis rerum domesticarum & voluntatis ultimae morientium habilis & bene instructus sit oportet.* Etenim heredis, aut, si mauiis, donatarii plurimum interest, ut post obitum bona defuncti possideat, quod per se patet. Verum ut ad possessionem earum rerum admitti possit, probari debet ex voluntate moribundi vltima, ista ipsi bona competere, & defunctum voluntatem suam ita declarasse, ut pro legitimo possessore agnoscat. Qua de causa testis illud ipsum, de quo testimonium perhibere debet, exaudiat, memoriae mandet, & probe sibi cognitum atque perspectum reddat oportet, ut id quod sensu percepit, aut percepisse iudicatur, alio tempore sincere & aperte edisserere possit. Quae cum omnia attentionem in rem sobrie & nauiter directam prodant, quo ipso testis habilis & bene instructus constituitur, §. XV. sequitur, ut testis rerum domesticarum & voluntatis

tis vltimae defunctorum satis instructus & habilis esse debeat.

§. XXI.

*Qualis esse debeat iuratus?*

*Testis iuratus rerum domesticarum & voluntatis vltimae morientium habilis aequae ac bene instructus sit necesse est; & eo magis quidem, quod testimonium suum iureiurando confirmat. Etenim testis iuratus est testis, quod per se patet. §. XV. Verum testis rerum domesticarum & voluntatis defunctorum vltimae habilis & satis instructus sit oportet §. XX. Praeterea iuratus, testimonium suum iureiurando confirmat §. XV. Qui iurat, Deum testem veritatis dictorum inuocat, & vindicem falsi. §. XIII. Et qui testis non est habilis nec satis instructus, neque ex rationibus satis euentibus talis haberi potest, is sine necessitate iurat, quod lege diuina prohibetur, §. XVII. Quamobrem ex hac noua & satis ardua ratione intelligi-*

telligitur, testem iuratum habilem pariter & satis instructum esse debere.

§. XXII

*Parochus quando testis iuratus esse nequeat?*

*Parochus, quatenus aegrotantes tantum visitat officii causa, & nihil intendit, nisi ut curam animarum spiritualem agat, testis iuratus rerum domesticarum & voluntatis defunctorum extremae esse non potest.* Parochus enim, quatenus in mera animae aegrotantium cura spirituali occupatus est, testis rerum terrestrium, supellectilis, voluntatisque morientium ultimae habilis & bene instructus non est, neque talis haberi potest. §. XVIII. Testis autem iuratus est testis, quod per se patet,isque eo magis habilis, & bene instructus fit necesse est, quod testimonium suum iureiurando confirmat. §. XXI. Vnde sequitur, ut parochus, quatenus in meram aegrotantium curam spiritualem incubuit, testis iuratus rerum domesticarum voluntatisque ultimae defunctorum esse non possit.

§. XXIII.

## §. XXIII.

*Obligatio parochi ad iusiurandum adsertorium quando negetur?*

*Parochus neque perfecte neque imperfecte est obligatus ad iusiurandum adsertorium de rebus domesticis & voluntate defunctorum ultima praestandum, quatenus in mera animae morientium cura fuit occupatus. Est enim perfecte obligatus ad curam animae aegrotantium ac morientium suscipiendam, idque pro omni virium modulo a Deo sibi concessio, non autem ad rationem rerum domesticarum habendam §. VIII. Qua de causa etiam perfecte non est obligatus ad attentionem animi in res eiusmodi terrestres flectendam, quia animus clinicorum aequae ac parochi, ab ista cura, quantum fieri potest, abstrahi, omnisque opera ad aegrotos rite praeparandos ad mortem beatam conferri debet; quatenus pastor in officio spirituali circa lectos aegrotantium est occupatus. §. VIII. Enimvero iusiurandum adsertorium est, quod praestatur de veritate dictorum, quibus aliquid nude affirmatur vel negatur. §. XIII. quod si quis iuret de rebus domesticis & voluntate defunctorum ultima, testis euaderet iuratus. §. XV. qui habilis & satis instructus esse debet §. XXI. Qui quum parochus, quatenus*



tentus officio suo circa lectos aegrotantium  
fungitur, ex obligatione perfecta esse non  
possit. §. XVIII. XXII. hinc sequitur, vt  
eatenus perfecte non sit obligatus ad iusiurandum  
adsertorium de rebus domesticis &  
ultima defuncti voluntate praestandum.  
*Quod erat unum.*

*Neque parochus imperfecte est obligatus  
ad eiusmodi iusiurandum praestandum.* Nam  
perfecte est obligatus ad omnem attentio-  
nem in curam animarum spiritualem diri-  
gendam, neque obligatione imperfecta tunc  
quidem adstringitur ad curam rerum terre-  
strium voluntatisque vltimae morientium  
suscipiendam §. VIII. X. Quodsi vero testis  
iuratus esse deberet, saltim imperfecte obliga-  
tus foret, ad res domesticas attentione sua  
apprehendendas. Quod cum ex officio  
parochi plane non intelligatur, per supe-  
rius demonstrata §. cit. testis iuratus esse  
nullo modo potest, adeoque etiam imper-  
fecte non est obligatus, ad eiusmodi iusiurandum  
praestandum, quatenus in anima  
aeternitati praeparanda elaborauit. *Quod  
erat alterum.*

*Scholion.*

Si quis excipiat, ad enuntiandum ve-  
rum, vbi res ipsa poposcerit, quemlibet  
mortalium per se esse obligatum: non ne-  
go.

go. Ast, quando verum enuntiandum ita est comparatum, vt singularem requirat curam atque attentionem, in rem, quae testimonio confirmari debet, dirigendam, officio eius, qui testis munere functurus est, prorsus aduersantem, en! alia rei facies emergit, & tunc etiam res ipsa per se longe quidquam aliud requirit. Qui spiritualem animae curam gerit, is magnum opus adgreditur, omnemque operam & studium omne in illud conferre debet; quemadmodum in superioribus demonstrauius. Similiter pro teste iurato in foro & iudiciis haberi, quando voluntas morientium vltima testimonio confirmari debet, grande quidquam ac probe perpendendum spirat. Aegrotantium aequae ac heredum plurimum interest, vt testis aliquando futurus verba morientis probe capiat, nihil finistre intelligat, tenaci memoria iterum iterumque retexat. Hoc enim pacto testimonium pro conscientiae dictamine verum idem ac certum, de quo ipse etiam post longiorem temporis intercapedinem non facile dubitauerit, perhibere potest. Quis non videt, haec omnia singularem attentionem & officium fere singulare requirere, vt rei sua veritas & euidencia constet. Immo si visitatio aegrotantium eorumque  
 praepa-

praeparatio ad mortem beatam, parochum testem redderet habilem & satis instructum rerum domesticarum: nihil ipsi prius, nihil antiquius esse deberet, quam illud omne quod in sensus incurrit, probe inspicere sedulo ac diligenter peruestigare & memoriae mandare, ne quid sensus praeteruehatur, aut elabatur animo, de quo testimonium aliquando in foro est perhibendum. Verum haec omnia non sunt officii parochorum, sed ab eo longissime remota. Quando igitur heredes testimonium quaerunt a parocho, qui in mera morientis ad mortem beatam praeparandi studio excubuit, nihil efficiunt, quam ut pastor officii causa semet aegrotantem visitasse, ad reliqua omnia non attendisse, recte & iure quidem profiteatur.

§. XXIII.

*Quando sine necessitate iuret?*

*Pastor in sola aegrotantium cura spirituali euigilans, si iurat, se rem illorum familiarum neglexisse, sine necessitate iurat.* Nam parochus, neque testis est habilis neque satis instructus ex officii, quo fungitur, sacratione, quia nullo modo est obligatus ad curam rerum domesticarum habendam. Qua de causa neque perfecte neque imperfecte

fecte ad iusiurandum de re morientium familiari eorumque voluntate vltima praestandum est obligatus. §. XXIII. Quodsi igitur suo tantum functus officio, reliqua fusque deque habens, iurare debeat, se pro virum modulo diuinitus concessio & conscientiae dictamine munus suum administrasse, res domesticas neglexisse: tunc iurando confirmaret, quod per se est euidens, & cuius causa ad aegrotantem fuit arcessitus, nisi contrarium ab herede fuerit probatum, §. X. Schol. Vnde intelligitur, pastorem in sola aegrotantium cura spirituali euigilantem, si iuret, se rem illorum familiarum neglexisse, sine necessitate iurare.

*Scholion.*

Leuiter & sine necessitatis decreto iurandum non esse, ipsa vocis origo fronte quasi seuera monet. Verbum *iuro* descendit a *iure*; id quod vocabulum *iusiurandum* apertius declarat, notante ROBERTO STEPHANO in *thesauro erud. Rom.* vbi voci *iuro* haec verba subtexuit: *a iure fit. Nam iurare proprie est, iure, lege, sollemniter adfirmare aliquid, negare vel promittere adhibitis testibus, Deo ipso etiam inuocato, vt teste vel vindice. Quum igitur ius nullum praecipiat, vt sine necessitate aliquid agamus,*



mus, ex nullo etiam iure agere censendus est, qui sine necessitate iurat. Huc pertinet effatum LOMBARDI L. III. C. XXXIX. *Sine necessitate iurare vel falsum iurare, peccatum grande est.*

§. XXV.

*Quatenus illi iusiurandum deferrri non possit?*

*Pastori iusiurandum deferrri non potest: quo probet, se meram aegrotantium curam spirituales suscepisse, res domesticas neglexisse.* Nam parochus, quatenus officii causa aegrotantes inuisit, neque perfecta neque imperfecta premitur obligatione, ad res domesticas attendendi, & quidquam earum rerum memoriae mandandi §. XXIII. Contra perfecte est obligatus ad praeparandas animas mox ad aeternitatem migraturas. §. VIII. Ista obligatio perfecta parochus est iniuncta, per ipsum officium sacrum sibi mandatum, ad quod rite administrandum fidem suam publice coram multitudine in Templo congregata adstrinxit, quod nouo iureiurando ad temerarium heredis petatum, confirmari non debet, nisi suspectum reddere queat parochum, ipsum praeter officium sacrum rebus eiusmodi ciuilibus fuisse implicitum §. X. Schol. Quodsi nihilominus parochus iusiurandum iniungeretur, eo ipso cogeretur ad iusiurandum

F

randum

randum sine necessitate praestandum, quod propter fugiendum nominis diuini abusum, lege diuina est prohibitum §. XVII. Quibus rationibus efficitur, vt parochus iusiurandum deferri non possit, quo probet, se meram animae aegrotantium curam suscepisse, res autem domesticas qualescunque circa lectos moribundorum neglexisse.

§. XXVI.

*Heres quomodo violet ius parochi perfectum?*

*Heres, qui parochus defunctum officii tantum causa visitanti iusiurandum adsertorium defert & obtrudit, ille ius parochi perfectum violat.* Etenim pastor, quatenus aegrotantem ex officio visitat, ius perfectum habet, ad curam animae, beatam ad aeternitatem praeparandae, sedulo atque ardentem gerendam. §. VIII. Schol. Quae causa testis habilis & bene instructus rerum terrestrium & vltimae defunctorum voluntatis iudicari non potest. §. XXII. Ex iisdem rationibus neque perfecte neque imperfecte ad iusiurandum adsertorium illis de rebus praestandum, est obligatus. §. XXIII. Neque parochus hoc deferri potest. §. XXIII. Quae quidem omnia ex officio pastorum spiritali in cura animae aegrotantium occupato fluunt, per superius demonstrata. Quod si quis vero in alia iret omnia

mubaz

omnia & iusiurandum adfertorium parocho obtruderet, eo ipso talem sifteret, qui res moribundorum terrestres, quamuis ad caelestia tantum tractanda fuerit obligatus, curae cordique quasi ex officio habere debuisset. Quo quidem molimine impediret ipsum, quo minus obligationi perfectae, quae ipsi incumbit, satisfacere, nec iure suo curam mere spiritualem circa lectos aegrotantium gerendi, frui possit, eumque cogeret ad cogitationes in res domesticas & dispositionem moribundorum extremam conuertendas, eaque omnia sollicita mentis indagine scrutanda. Enimuero, qui alterum impedit, quo minus obligationi suae satisfacere, nec iure suo frui possit, ius illius violare dicitur. §. VII. XVIII. Vnde perspicitur, heredem, qui parocho iusiurandum adfertorium, officii tantum gratia aegrotos inuisenti, desert & obtrudit, ius ipsius perfectum violare.

*Scholion.*

Hinc facili negotio colligitur, illum qui ius parochi perfectum violat, simul eundem laedere. Nam ius perfectum homini competens, tamquam attributum s. proprium personae considerari potest, per vulgaria Iur. Nat. placita. Sed laedere alterum dicitur, qui ius illius perfectum violat.

lat. Qui igitur parochi ius perfectum violat, is eundem laedere censendus est. Conf. Celeb. KOEHLERI *ius cogens. Exercit. IV. §. 764. sequ. & illustr. SAM. PUFFENDORF de iure nat. & gent. L. III. C. 1. §. III. p. m. 324.*

## XXVII.

*Quid iuris tunc competat parochi?*

*Parochus ius perfectum & plane infinitum habet, iusiurandum ab heredibus praeter officium sibi delatum, quatenus in mera animae morientium cura excubuit, recusandi, & a sua aequae persona ac officio arcendi. Etenim ex praecedentibus elucet, parochum gaudere iure perfecto visitandi aegrotos, eosque ad beatitatem aeternam rite praeparandi, reliqua omnia, qualiacunque sint ista, prorsus negligendi. Qua de causa pro re ite habili & satis instructo haberi non potest. § XXI. Quodsi nihilominus iuraret, sine necessitate iuraret §. XXIII. Verum enimvero sine necessitate iurare est nomen Dei in vanum usurpare, quod lege diuina est prohibitum. §. XVII. Nomine Dei abuti, praegrande est peccatum, quo seuera Dei vindicta ad puniendum prouocatur §. cit. Verum qui lege diuina est obligatus ad actionem omittendam, ille ius perfectum habet, illud omittendi quod sub grauissima poenarum comminatione est interdictum, neque vlllo*



villo iure ab alio cogi potest, vt istos limites transfiliat §. VIII. Immo leges diuinae, quae peccare vetant, obligationem nobis ad non peccandum iniungunt infinitam, & ius ad peccatum fugiendum & a nobis repellendum largiuntur infinitum; id quod ex lucidissimis lur. nat. & sanctioris doctrinae placitis intelligitur. Ergo parochus ius perfectum & plane infinitum habet, iusiurandum ab heredibus praeter officium sibi delatum, quatenus in mera morientium cura ac medela euigilauit, recusandi, & a sua aequae personae ac officio arcendi.

*Scholion.*

Si quis excipiat, posse tamen magistratus decreto iusiurandum adfertorium de rebus morientium domesticis a parochis extorqueri, quia iure gaudet, obligationes imperfectas in perfectas transformandi per principia lur. nat. vnde quod ius antea imperfectum erat, nunc perfectum s. strictum euaderet: is inexpugnabile argumentum reperisse non videtur. Nam supra demonstrauimus, parochum ex officio aegrotos visitantem etiam imperfecta non premi obligatione ad res vagas fluxasque meditandas & memoriae mandandas, quatenus officio fungitur suo, reliqua omnia fusque deque habet. Vbi nulla, neque perfecta, neque

imperfecta locum habet obligatio, ibi nulla talis mutatio fingi potest. Alterum hoc est, quod nervos demonstrationis nostrae infringere videatur. Nimirum ad litem, contendat aliquis, iusto modo sopiendam quemlibet mortalium esse obligatum. Quodsi igitur iureiurando finiri posset controuersia, neque parochum ab ista iurandi necessitate posse liberari. Verum ex superioribus elucet, abusum nominis diuini a parocho committi, quando sine necessitate iurat; id quod accidit, vbi sacro tantum ad lectos aegrotantium fungitur officio, reliqua omnia fluxa & vaga plane neglexerit, atque ita solas officii sacri partes impleuisse iurauerit. §. XXIII. Quis igitur putet, abusu nominis diuini rixarum nodos esse soluendos? Deinde iureiurando a parocho praestito iurgia & rixae heredum non sopiuntur, sed magis excitantur atque inflammantur; si quidem & legibus imperii & prouincialibus nostris modus testandi *canonicus* fuit abrogatus §. V. *Schol.* Hoc si alter heredum excipiat, per parochi testimonium vltimam defuncti voluntatem manifestantis, raedae quasi ardentes litium flammis adiiciuntur.

§. XXVIII.

*Casus singularis.*

Haec omnia, quae legitimo demonstratione-

strationis filo pertexuimus, fortasse non  
 sunt contemnenda, quia parochi his ratio-  
 nibus muniti malitiam nonnullorum homi-  
 num compefcere possunt, qui officio eo-  
 rum sacro istiusmodi iurandi necessitate  
 obrusa temere abuti non dubitant. Id  
 ipsum raro quidem contingere solet, at eo  
 magis cauendum, ne frenis veluti laxatis  
 aegrotantium pariter ac heredum sinistra  
 contentio in arcem officii sacri inuadat, &  
 pastorem spiritualia ac caelestia tractantem  
 arbitrum & testem rerum domesticarum,  
 etiam litis tantum prorogandae caussa, esse  
 iubeat. Noui pastorem qui ante quinque  
 & quod excurrit, annos, ciuem honora-  
 tum grauissimo cum morbo conflictantem  
 aliquoties visitauit, circa lectum aegrotans  
 nihil egit, nisi quod hortando, monendo,  
 consolando animum morituri molliuit &  
 erexit, nec non preces inter adsiuas, pias  
 cogitationes & suspiria suggessit, sacrae eti-  
 am coenae vsu rite applicato caeleste robur  
 addidit, ad triumphum de morte, caeli-  
 tum inter applausus reportandum. Reliqua  
 omnia nauci floccique, vt semper solet, pe-  
 pendit parochus, neque quidquam earum  
 rerum memoriae mandauit, cuius rationem  
 in posterum coram iudice se redditurum,  
 sit pollicitatus. Heredum vnus, domum,  
 in qua defunctus cum ipso habitauerat, iure

donationis, quod praetexuit, sibi soli, exclusis ceteris heredibus, studuit vindicare. Postquam vero ab omni probationis fundamento se deiectum & quasi derurbatum videret, post integri biennii interuallum, quum interim ad hoc vsque tempus altum filuisset, parochum tamquam testem, cui donatio aedium manifestata a defuncto fuerit, per procuratorem ordinarium compellauit. Negauit hoc pastor, earum scilicet rerum nihil sibi conscius, eamque rerum seriam ipse inexpectata hac quaestione excitatus in memoriam reuocauit, vnde tale quid heres nec sibi nec aliis persuadere poterat. Acquieuit per alterum biennium in hac responsione, cuius post decursum ipsum adiudicem & rantos sibi spiritus sumsit, vt per vim legis & iuris parochio iurandum adfertorium deferret; quod ille tamen re perspecta magis & explorata, istis rationibus in arctum & angustum contractis bene munitus, declinauit, istosque laqueos conscientiae iniectos animose excussit.

---

*Corrigenda.*

p. 10. l. 8. Verba: Hoc certum & . . . Act. XX. 28. tamquam excerpta e VITRINGA signentur.

p. 19. l. 20. pro 1656. lege 1756.

Reliqua ob temporis angustiam L. B. iudicio permittemus,



MC

li, ex-  
dicare.  
s fun-  
batum  
allum,  
altum  
n, cui  
o fue-  
mpel-  
scilicet  
rerum  
ne ex-  
e tale  
e po-  
um in  
um i-  
s sum-  
o ius-  
d ille  
orata,  
n con-  
osque  
excuf-

XX.28.

r.

mittis

MC






Kv 2428

X2368175







Farbkarte #13

B.I.G.

*C. 8. Jun. 29,*  
**PAROCHVS NON  
IVRANS**  
QVATENVS IN SOLA  
AEGROTANTIVM CVRA  
SPIRITVALI  
FVIT OCCVPATVS

*P. 363*  
INSTRVCTIONIS PASTORALIS  
SCHEDIASMA

AVCTORE

IOANNE CHRISTIANO DIETZ,  
DEFINITORE ET PASTORE AD TEMPLVM  
CIVITATIS GISSENSIS PRIMO.

*Her 2428*

GISSAE

apud IOH. PHILIPP. KRIEGER.

1767.

20. 2. 06.

